# XXIX APRILIS.
# DE S. PETRO MARTYRE EX ORDINE PRÆDICATORVM.
# VITA

## Scripta per Thomam de Lentino coævum, Ord. Præd. postea Patriarcham Hierosolymitanum; Aucta ab Ambrogio Taëgio ejusdem Ord. ex ipsius MSS. Mediolani in Conventu S. Mariæ Gratiarum.

## PROLOGUS.

[1] Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus; & tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua & sanguis. [1 Ioa, 5, 7] Sanctorum gloriam multis & variis testimoniis astruendam sapientia divina providit, quibus corda fidelium attentius in laudem suæ bonitatis attolleret, & in Sanctorum venerationem vehementius & frequentius excitaret. Felix autem Sanctus, [sanctitas S. Petro a SS. Trinitate collata] cui & cælestia & terrestria testimonia suffragantur; cui nec virtus cælestis desit ad gloriam, nec laus terrestris ad famam, longe lateque diffusam & fidelium testimoniis comprobatam. Quæ quidem in S. Petro Martyre, novo fidei pugile, celerius innotescunt; cujus sanctitati tota Trinitas attestatur; videlicet Patris potentia, in miraculis; Filii sapientia, in doctrinis; Spiritus sancti gratia, in virtutibus & donis, quibus illum affluentius decoravit, & præ participibus suis suorum charismatum unctione perunxit. Ut autem fides in fidei pugile contra impugnatores fidei, hæreticos videlicet, amplius refulgeret, [ipsis ejus operibus comprobata] & suis refulgens radiis invidorum oculos virtuosius excæcaret;

**non defuerunt terrestria testimonia, dum & aqua innocentiæ baptismalis, quam ex matris utero illibate retinuit; & spiritus sapientiæ salutaris, quam per Italiam illibate diffudit; & sanguis triumphalis passionis, quam pro fide Christi victoriose sustinuit, multiplicis gloriæ suæ præconiis attestantur; ut sanctis virginibus, Doctoribus & Martyribus coæqualis esset in præmio quorum merito se imitatorem præcipuum comprobavit. Quæ ut amplius pateant, a primordiis vitæ ejus narrationis sumentes exordium, usque ad triumphum passionis suæ stylum brevem, sed rudem producendum decrevimus; adjicientes nonnulla cælitus ostensa miracula, prout ad nos seriem veritatis fide dignorum detulit approbata relatio, ad gloriam & honorem illius, qui gloria & honore suum Martyrem coronavit.**

## ALIUS PROLOGUS.

**Qvis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? [gloria S. Petri] iste Formosus in stola sua, gradiens in multitudine virtutis suæ? [Isa. 63, 1] Mirum in modum mirantur Angeli, novum Regem cum novis insigniis regiis penetrantem cælestia, Quis, inquiunt, est iste, tam mirabilis cælo, tam spectabilis mundo, tam terribilis inferno, ut in nomine ejus omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum: qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? &c. Cuncta in admirationem deducunt illius speculatores magnitudinis, nihil de contingentibus omittentes, sive ea quæ ad passionis tincturam vel ad resurrectionis gloriam, vel quæ ad magnificam ascensionis pertinent comitivam: singula namque plena sunt admirationis & laudis, sed omnia simul juncta admirationem adjiciunt, & mirabiliora ipsis intelligentiis supernis occurrunt. Mirentur igitur homines, per modum Angelicum; mirentur auditores & spectatores tantæ virtutis, velut per speculum in ænigmata, novum militem cum triumphalibus indiciis Regis vestigia prosequentem,**

dum sic cruore tinctus & victoriosus describitur in veste sanguinea, sic fructuosus doctrinæ gratia, per quam magnam comitivam Fidelium, quasi seminis sui manipulos, secum tulit ad Dominum, sive quos de errore ad fidem convertit, sive de culpa in justitiam transtulit, sive de mundo ad Religionem adduxit. [laurea doctoratus, virginitatis & martyrii insignis.] Hæc sunt triumphalia indicia novi pugilis, omnibus seculis admiranda, & ab antiquis seculis inaudita, ut sic triplici laurea laureatus ascendat, Martyrum videlicet, in effusione sanguinis pro fide Christi; Virginum, in illibata munditia mentis & corporis; & Prædicatorum, in disseminatione sapientiæ salutaris, per quam multos convertit in viam salutis. Hæc sunt, quæ miratur cælum, veneratur mundus, & expavescit infernalis dæmonum & hæreticorum exercitus, sicut ex variis & mirandis miraculis innotescit: proinde sicut nova indicia uberioris gloriæ cælo intulit; sic nova gaudia plenioris gratiæ mundo reliquit; & confutatis errorum sequacibus ad ejus sequenda vestigia Fideles cunctos attentius excitavit. Verum ut gestorum ejus principium finis & medium memoriæ commendetur; a primordiis suæ originis, per suæ conversationis decursum, usque ad triumphalem titulum passionis & mortis, seriem narrationis describendam assumpsimus, pro ut ad nos approbata descriptio fide dignorum adduxit, ad honorem ejus, qui est principium & finis, honor & gloria & corona Sanctorum.

Primum Prologum etiam apud Surium legere est: secundus (ejusdem an alterius auctoris non divinaverim) post primum invenitur, in MS. Florentino Conventus S. Marci. Taëgius ex pluribus Legendis compilatam in unum Vitam a se dari prosessus, opus suum tripartum esse voluit, & partes singulas in paragraphos divisit, hac quæ sequitur forma.

## SYLLABVS ANTIQVÆ PARTITIONIS.

# PARS I.

§. 1. De ejus origine.

2 De disputatione fidei & victoria, quam habuit contra partuum suum.

3 De missione ejus ad studium Bononiæ, & ingressu in Ordinem.

4 De austeritate vitæ ejus, in jejuniis & abstinentiis in Novitiatu.

5 De puritate mentis & corporis ipsius.

6 De sanctis virginibus patriæ cælestis, quæ ei oranti apparuerunt.

7 De ejus profunda humilitate, & studiositate ad divinas litteras.

8 De zelo ejus ad fidem Catholicam defendendam, & hæreseon impugnationem.

9 De gratia Prædicationis ejus, & devotionis populorum ad ipsum.

10 De fiducia, quam habuit ad Deum.

11 De juvene muto, cui miraculose loquelam restituit.

12 De curatione corporali & spirituali cujusdam mulieris desperatæ.

13 De juvene, quem a malo nattæ liberavit.

14 De oleo, per ejus merita in vase divinitus multiplicato.

15 De quibusdam quæ Cæsenatensibus, futura prædixit.

16 De austeritate vitæ ipsius, & de eo, quod uxori D. Ioannis Scoti reditum viri in patriam, & ex ea nasciturum filium prædixit.

17 De fratre a scorpione percusso, & per S. Petrum sanato.

18 De hæretico, S. Petrum illudere volente, a Deo percusso, & per ipsum in anima & corpore mirabiliter sanato.

19 De hæretico, ab eo confuso & S. Virgine ipsum confortante.

20 De equo, S. Petro Florentiæ prædicante, super populum currente, & per merita ipsius Sancti neminem lædente.

21 De diabolo, qui in specie nigerrimi equi ejus concionem turbare volebat.

22 De hæreticorum expulsione civitate Florentina ad S. Petri instantiam.

23 De juvene, qui ex indiscreto zelo sibi pedem amputavit, & per S. Petrum perfecte sanato.

24 De Crucifixo ei loquente, ipsumque in tribulationibus confirmante.

25 De hæretico, per prudentiam & virtutem ejus ad fidem Catholicam converso.

26 De machina mentis hæreticorum & dæmonum cum Christi corpore, per eum dissipatis.

27 De puero muto per cum ad loquelæ officium restituto.

28 De muliere quadam, per ipsius merita a mortis periculo liberata.

29 De miraculo cerei accensi, per quem sanctitas ejus designata fuit.

30 De officio Inquisitoris hæreticæ pravitatis in Mediolano & ejus comitatu, sibi ab Apostolica sede commisso.

31 De nubecula, quam super populum æstuantem divinitus impetravit.

32 De victoria, quam contra hæreticum loquacem habuit, loquelam auferendo.

33 De duobus, ad tactum cappæ ipsius a gravissimis languoribus liberatis,

34 De duobus contractis, ab eo oratione & signo crucis sanatis.

35 De ejus oratione ad corpus Christi, & quomodo prædixit ruinam castri Gathæ.

## PARS II

## De eius Martyrio, canonizatione, & corporis translatione.

§. 1 De eo quod mortem suam præcognovit, & in publica prædicatione prædixit,

2 De tractatu facto in morte S. Petri, & de his qui ei interfuerunt,

3 De ejus Martyrio.

4 Quomodo corpus ejus, prout vivens prædixerat, apud S. Simplicianum ea nocte quievit.

5 De muliere infirma, ad tactum sui corporis sanata.

6 De conformitate martyrii ejus ad Passionem Domini nostri Iesu Christi.

7 De moniali monasterii de Ripolis prope Florentiam, cui gloria & transitus S. Petri Martyris est demonstrata.

8 De lampadibus ad ejus tumulum dependentibus, cælesti lumine divinitus accensis.

9 De miraculis ad tactum terræ, sanguine ipsius Martyris tinctæ, perpetratis.

10 De solenni canonizatione S. Petri Martyris, per D. Innocentum IV Perusii facta.

11 Litteræ canonizationis.

12 De eo quod summus Pontifex præcepit ejus festum solenniter celebrari.

13 Litteræ summi Pontificis de celebritate festi B. Petri Martyris.

14 De corporis ejus veneranda translatione.

## PARS III.

## De miraculis post mortem S. Petri Mart. ad ejus invocationem divinitus perpetratis, tam ante quam post ipsius canonizationem.

§. 1 De sanguine, qui miraculose in festo ipsius fluxit, & hæretici conversione,

2 De panno tunicæ ipsius Martyris, qui ab igne incombustus resilivit.

3 De quibusdam S. Martyrem blasphemantibus, a Deo punitis.

4 De violantibus vota S. Petro Mart. facta, severe a Deo punitis.

5 De miraculis, factis circa Fratres Ordinis Prædicatorum per S. Petrum Mart.

6 De miraculis erga personas utriusque sexus Ordinis Minorum, ipsius meritis factis.

7 De miraculis circa quasdam alias personas religiosas, S. Martyris meritis perpetratis.

8 De mortuis, meritis S. Petri Martyris divinitus suscitatis.

9 De mulieribus, in periculo partus constitutis, ad invocationem ejus liberatis.

10 De pueris deformibus natis, ad invocationem S. Martyris reformatis.

11 De filiis, ad invocationem S. Petri Martyris, a Domino concessis.

**12 De infirmis, in mortis articulo constitutis, Martyris precibus liberatis.**

**13 De febricitantibus, ad invocationem Martyris sanatis.**

**14 De hydropicis quibusdam, ad invocationem Martyris liberatis.**

**15 De quodam a malo calculi, ad invocationem S. Petri Martyris, liberato.**

**16 De Paralyticis, meritis S. Petri Martyris liberatis.**

**17 De liberatione matris prædicti pueri a gravi infirmitate mamillarum.**

**18 De contractis, ad invocationem S. Petri Mart. liberatis.**

**19 De infirmitatibus apostematum & fistularum, per S. Martyrem curatis.**

**20 De liberatione præfatæ mulieris a submersionis periculo.**

**21 De quodam ab infirmitate cancri S. Petri M. meritis liberato.**

**22 De quodam furioso, ad invocationem S. Petri Mart. liberato.**

**23 De nonnullis epilepticis, meritis S. Petri Mart. sanatis.**

**24 De muliere lethargica, ad invocationem Sancti Martyris liberata.**

**25 De viro, cui pectoris vena fracta est, S. Petri Mart. meritis sanata.**

**26 De diversis miraculis, ex aqua cum reliquiis S. Petri benedicta, factis.**

**27 De dæmoniacis per S. Petrum Mart. liberatis.**

**28 De eo, qui in testimonium sanctitatis S. Petri ferrum candens absque læsione manibus portavit**

**29 De igne ad præsentiam reliquiarum S. Petri Martyris represso.**

**30 De sanguine, ex reliquiis S. Petri Martyris prodeunte, & de novitio in fide dubio propter hoc confirmato.**

**31 De navi periclitante, S. Petro in velo apparente, a naufragio liberata.**

**32 De navi in littore immobili permanente, & in nomine S. Petri Mart. solo manus tactu velociter se movente.**

## CAPUT I.
## Natales S. Petri, ingressus in Religionem, virtutes in tirocinio, abstinentia, colloquia cum Sanctis & Christo, conciones.

**[1] [Veronæ parentibus natus hæreticis,] Beatus Petrus Martyr, de ordine Fr. Prædicatorum, ex Provincia Lombardiæ, Veronensis origine, ex parentibus hæreticis a originem traxit; ut tamquam lux de tenebris, rosa de spinis, flos exortus de sentibus, tanto amplius refulgeret in claustro, rutilaret in cælo; quanto de parentibus per errorem excæcatis, lucidus prædicator exurgit; & de sauciatis mente, corporeque corruptis, decus virginale procedit; ac de spinis æterno incendio deputatis, inclytus Martyr ascendit. Et licet filium eruditionibus parentum informari natura doceat, & puerum necessitudo compellat; tamen sic se mundum servavit ab erroribus &**

immunem, quod nec blanditiarum dolositate, nec monitionum instantia, nec frequentia verberum ad hæreticorum colloquia vel induci valeret aliquatenus vel compelli. [hæreticorum consortia vitat,] Iam intelligere videbatur, qui tangit picem inquinabitur ab ea, & corrumpunt bonos mores colloquia prava. Quod enim natura hominibus animalibusque contribuit, ut homo serpentis, & agnus lupi aspectum abhorreat, & inditam inimicitiam sentiat; hoc puerum bonæ indolis unctio cælestis edocuit, ut venenosorum serpentum insultus fugeret, & lupos rapaces, licet contectos ovinis pellibus, inimicos agnosceret, ac eorum consortia devitaret.

[2] Cum autem circa septennium rediens a scholis, quibus erat traditus litteris imbuendus, [septennis symbolum fidei tuetur.] a patruo suo hæretico, magno diaboli laqueo, quidnam in scholis didicerat, interrogatus fuisset; respondit, se Symbolum fidei didicisse; Credo in Deum patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, &c. per ordinem prosecutus. A cujus professione cum dictus patruus præfatum puerum, quasi rudem pugilem, avertere niteretur; ut non Deum, [contra patruum] sed diabolum potius fateretur horum visibilium creatorem, auctoritatibus etiam additis ad sui fomentum erroris, cum esset causidicus & infidelitatis patronus; nihil tamen a puero potuit obtinere, affirmante constanter, quod legerat & quod scriptum erat se velle credere & fateri. Quod ille animarum seductor & diaboli laqueus ut perpendit, patri totum quod gestum fuerat retulit; &, ut Petrinum a scholis removeret, modis omnibus persuasit: Timeo enim, ait, ne cum Petrinus bene fuerit eruditus, ad meretricem se conferat Romanam Ecclesiam, & sic fidem nostram destruat. [præsagientem ejus in haereses odium:] Hoc autem a semetipso non dixit, sed tamquam alter Caiphas S. Petrum hæreticorum perfidiam destructurum, futurorum nescius, prophetavit. Sed quia non est consilium contra Dominum, pater ejus fratris

monitis assensum non præbuit, sperans filium ad sectam suam per hæresiarcham aliquem in posterum attrahendum, cum foret in Grammaticalibus eruditus.

[3] Puer igitur, domi annis puerilibus jam excursis, missus est Bononiam ad studendum: [mittitur Bononiam ad studia,] ubi licet esset ab hæreticorum instantia elongatus, non defuere tamen novæ impugnationis genera, florem pudicitiæ suæ subripere decertantia, adolescentioris ætatis assueta. Quis enim inter carnis illecebras, mundi fallacias, hostis insidias & lubricos sodalium comitatus, integritatem mentis & corporis sufficeret custodire? In carne præter carnem vivere, [Hier. in Assump. B. V.] Angelicum est non humanum, ait Hieronymus. Quapropter ingeniosus puer, sortitus animam bonam, & ad corpus incoinquinatum & cor immaculatum totis anhelans affectibus; bonitatem circa se divinæ dispensationis agnoscens & stupens, suæ puritatis consciis est confessus, quomodo in via tam lubrica lapsum castitatis potuerit evitare. Advertens etiam non esse tutum cum scorpionibus habitare, velut alter Joseph, pallium reliquit in manu Ægyptiæ suo insidiantis pudori, & ad religionis refugium confugiens, mundum cum flore decidenti, parentes cum errore perimenti despiciens, mundus ipse Prædicatorum ordinem sub S. Dominico (ut in Vitis Fratrum scribitur) est ingressus, futurus prædicator eximius, oppugnator hæresum, [ingreditur Ordinem Prædicatorum,] persecutor sordium, & vitiorum potentissimus objurgator. In quo quidem ordine per paupertatis & humilitatis vestigia beatum Patrem Dominicum ducem, virginem virgo sequens, magnum perfectionis apicem attigit; semper de virtute proficiens in virtutem, & procedens quasi lux splendens usque ad perfectam diem.

[4] [conspicuus austeritate vitæ] In novitiatu suo contra carnem nimio zelo succensus, ne servus delicate nutritus

proterviret in dominum sic se jejuniis & abstinentia nimiæ austeritatis afflixit, sic se vigiliis honestatis in orationibus macerabat; quod mensuram propriæ fragilitatis excedens, fere civem perdidit, dum perdere quærit hostem. Nervis namque ipsius ex nimia exinanitione contractis, ita dentes ejus fortiter sunt obstricti, quod vix ad glutiendum aliquid sorbibile quolibet instrumento poterant aperiri. Misertus autem ejus vel potius populi sui Dominus, non passus est os illud beatum diutius obserari, quod in medio Ecclesiæ suæ toties disposuerat aperire. Restitutus vero pristinæ sanitati, modum abstinentiæ mutavit, non propositum vel consuetudinem abstinendi. [abstinentia,] Humanæ autem imbecillitatis experientia, compassionis adjuncta virtuti, ita in eo pietatis & parcitatis ordinavit affectum, quod licet sibi parcus & austerus permanserit, aliorum tamen necessitatibus indulgentior semper fuerit. Cum enim ex uberiori gratia, diffusa in labiis suis, ad devotionem ipsius plurimorum corda Dominus inflammasset, gauderentque vehementius cum sibi mittere poterant aliqua pietatis xenia (sicut Fratres, qui tunc aderant, diligenter notaverunt) de omnibus quæ ob sui gratiam mittebantur abunde cibariis, per totam unam Quadragesimam, aut nihil comedit aut modicum; sicut solitus erat sæpius abstinere, illum sequens a longe, qui venit ministrare & non ministrari.

[5] Porro integritatem mentis & corporis sic semper illibatam conservare studuit, [perpetua virginitate & innocentia,] & in conservando proficere; ut virgo corpore & virgo mente, nullius unquam mortalis criminis contagium senserit, sicut suorum Confessorum fideli testimonio probatum est. Ne vero per otii desidiam hostilibus pateret insidiis, in justificationibus Domini exercebatur assidue; ut eo circa virtuosa totaliter occupato, nil vitiosum in ipso locum aliquatenus obtineret, & a spiritualibus nequitiis tutus esset; Quantum insuper fuerit devotione gratus, [& variis aliis virtutibus.]

obedientia placidus, benignitate suavis, patientia constans, caritate præstabilis, & in cunctis morum maturitate compositus; protestantur diffusius seculares & Fratres, qui viderunt, & ejus meruerunt consortium, & sibi familiarius adhæserunt.

[6] Tantæ etiam puritatis & sanctitatis fuit, quod Virgines sanctae ex superna curia eum aliquando visitabant, & cum eo orante familiariter colloquebantur. Unde cum in quadam civitate moraretur in conventu Ordinis, [cum Sanctis colloqui auditus] accidit, ut eo in cella orante, quidam Fratres levitate ducti juxta cellam ejus transeuntes, plurium collocutionem audientes, firmaverunt se, ut, quinam essent, deprehenderent. Qui mulierum voces audientes, ut minus devoti, feminas esse in cella existimarunt. Unde in Capitulo inductis testibus coram Priore accusaverunt eum: [& perperam ideo accusatus] nam quantacumque pia causa, etiam confessionis vel necessarii consilii, mulieres in dormitorium introducere, etiam honestissimas, sacrilegium judicatur. Surgens in medium Fr. Petrus vocatus a Priore, interrogatur de re ipsa, nec explicat cum quibus loquebatur, (tum ne se jactare videatur asserendo colloquium cum sanctis Virginibus habuisse, tum etiam considerans sibi soli fidem non adhiberi contra plures) nec tamen fatetur in cella mulieres habuisse, de quibus illi intendebant; sed tacens prostratus in medio veniam petit. Quis, inquiens, dicere potest, Mundus sum a peccato, ut non egeat venia. Dure Prior arguit eum, quomodo ausus sit feminas etiam honestas in cellam inducere, cum ultra periculum infamiæ nota contra conventum oriri possit: arbitrabatur forte magis quadam incautela & simplici puritate, quam lascivia illud fuisse peractum. Florebat tunc Prædicatorum Ordo, & omnis lascivia exulabat ab eis. Iubet igitur Prior a Conventu illo Fr. Petrum discedere, & in conventu Æsino Ordinis ejusdem, [alio ablegatur,] in Marchia situm, commorari,

ibique quasi relegatum permanere, ut discat hujusmodi incautelis non scandalizare conventus. Caput inclinat, pœnitentiam humiliter suscipit innocens, iter assumit & applicans residet ibi. Quadam autem nocte, dum in ecclesia coram imagine Crucifixi devotius oraret, confusio ei illata sine causa & increpatio menti occurrit, sensitivamque excitavit ad tristitiam, & piam querelam faciens ad Crucifixum, dicebat: [consolante eum de cruce Christo.] Mi Domine, tu scis in causa illa innocentiam meam, cur permisisti me sic judicari? Et Crucifixi imago ad eum. Et ego, Petre, quid feci mali, ut cum tantis opprobriis & contumeliis condemnarer ad crucem? disce ergo exemplo meo omnia æquanimiter ferre. Ex quibus verbis mirabiliter confortatus est & consolatus: in processu autem temporis declaratum est, illos errore fuisse deceptos, qui crediderunt Virgines supernæ patriæ, fuisse feminas viæ. Adhuc imago illa Crucifixi in dicto conventu in reverentia habetur & honore.

[7] Quantumcumque autem polleret virtutibus & meritis præfulgeret, [officia humilitatis obit;] ne quasi pulverem jactaret in ventum, si sine humilitate virtutes alias in animo congessisset, sic se humilem & subjectum in congregatione Fratrum exhibuit; ut ad Fratrum obsequia, in quibus sanctus juvenis occupabatur interdum, se facilem & voluntarium exhiberet. Sæpe namque pia sollicitudine serviebat infirmis, frequenter hospites hilari suscipiebat affectu, nonnunquam verborum & gestuum compositione servata discrete peragebat janitoris officium, ad nulla officia quantumcumque humilia & vilia se difficilem exhibebat vel invitum; interdum cum Martha exterioribus ministeriis solicite inserviens, & sedens ad pedes Domini cum Maria, non diebus neque noctibus cessabat a colloquiis divinis & oratione, Euangelium Christi vel aliquem sacrum codicem sub axilla vel in pectore aut in manibus gerens, [lectioni piorum librorum & scripturæ intentus] semper legens cum poterat, vel

lecta meditans, vel audita ruminans & memoriæ recommendans. Inerat enim ei ardens desiderium sapientiæ, & tantus amator factus est legis divinæ, ut cum Eunucho Æthiopiæ, etiam in ministerio quotidiano positus, sacras, cum posset, litteras legere non cessaret. Sic enim in ipso sibi grata vicissitudine succedebant ardor discendi & desiderium promerendi; ut mirum in modum interdum non minoratus actu, non minus percipere sapientiam desisteret. Contulerat enim ei divina providentia cor docile & tenacem memoriam ad deposita fideliter custodiendum, & linguam eruditam ad deposita efficaciter dispensandum. Unde sine moræ dispendio factum est cor ejus promptuarium sacræ Legis & sanctarum armarium Scripturarum.

[8] [zelo in hæreticos succenditur:] Per idem tirocinii tempus, hæreticorum opprobriorum, Ecclesiæ Dei exprobrantium, non immemor neque obliviosus zelator effectus, sic animo suo fidem præcipue & ea quæ ad fidei defensionem pertinent & hæreticorum impugnationem impresserat, ut quasi fidei propugnator ardentior, totum in illius & contra hostes ejus se mancipaverat obsequium; quod quæcumque ejus & verba & studia veritatem fidei redolerent: ac sic circa defensionem ipsius fidei, pro qua totus ardebat, prævaluit & profecit; quod contra illius diros hostes continuum certamen exercens, suum tandem agonem diuturnum victrice superante martyrio feliciter consummavit. Pro hac enim a primævis temporibus mortem subire cupiens, hoc principaliter a Domino attentis & crebris supplicationibus postulasse dignoscitur, quod non sineret eum ex hac luce migrare, nisi sumpto pro illo calice passionis. Nec fraudatus est desiderio suo.

[9] Verum disponente Domino lucernam suam, quam taliter concremabat, non occultare sub modio, [concionatur] sed brevi temporis spatio super prædicationis candelabrum altius sublimare; credita est

sibi dispensatio eloquiorum divinorum; & cælesti virtute studium comitante, prædicator factus est generalis. Ubi autem velut alter Gedeon tubam prædicationis assumpsit, quam glorioso clangore sonuerit, [per Lombardiam & Italiam,] hostes ac fideles excitans, in multis partibus est auditum. Exivit enim sonus ipsius in omnem terram provinciæ Lombardiæ, apud Urbem etiam, & per non modicam partem Thusciæ, & per Romandiolam totam & Marchiam Anconitanam. Quas enim civitates aut oppida ibi sita devotis aliquando clamoribus non excitavit? quarum gentium per dicta loca morantium non concussit corda, vel pulsavit auditum? Ubique in memoratis partibus sanctæ opinionis diffusus est odor, aliis odor vitæ in vitam, [celebri fama] aliis odor mortis in mortem: ubique reddita est ejus persona spectabilis, ubique celebre factum est nomen ejus. Auris audiens beatificabat eum, & oculus videns ei de sanctis operibus ejus, de exaltatione quoque fidei & victoriosa confutatione erroris, testimonium perhibebat. Quantos autem & quales fructus fecerit in salutem animarum vel in suorum copia meritorum, solus novit qui multitudinem stellarum enumerat, cui nuda sunt omnia & aperta. Si enim beatus est, qui jugum Domini ab adolescentia sua portaverit; quanto beatior, qui tamquam Beniamin adolescentulus in excessu sanctitatis & virginitatis, triginta fere annorum spatio in Prædicatorum collegio commoratus, totum tempus & numerum dierum vitæ suæ studiose in divinis obsequiis expendit, usque ad triumphalem titulum passionis. [diligenti studio,] Et ut dies pleni invenirentur in eo, & ut noctes vacuas non haberet; nocturna silentia, humanæ deputata quieti, post dormitionem brevem decurrebat in studiis lectionum, & somni tempus devotis orationibus occupabat & suspiriis: dies autem impendebat commodis animarum, vel quotidianis & sedulis prædicationibus immorando, vel confessionum audientiæ insistendo, aut hæreticorum dogma pestiferum validis rationibus confutando; in quibus

specialis dono gratiæ claruisse certum est. Sic ergo Dominus gratiam gratiæ exæquavit, quod multitudo populi ad prædicationem undique confluentis, gratiæ ejus magnitudinem ostendebat. [maximo concursu,] De civitatibus enim & castris, cum vexillis & tubis sonantibus, erumpebant obviam venienti: recedentem quoque tot aliquando sequebantur, quod vix ab eis poterat separari. Sæpius etiam, ubi statuerat prædicare, innumerus turbarum concursus loca præripiens ipsum intolerabiliter opprimebat. Propter quod Mediolanensium populus, in insigne devotionis indicium, in carruca ex pictis asseribus fabricata, non collis animalium, & sed humeris vecta fidelium, collocatum Sanctum, a pressura multitudinis importuna servabat illæsum; & prædicationis locum aptum sibi providebat ceteris præeminentiorem. Sic namque deduci debebat agricola, qui semen veritatis contra hæreses, semen pacis contra odia, & adversus scelera justitiæ semen seminabat. Unde multi abjurabant hæreses catholica veritate inspecta, plures injuriis dimissis finem discordiis imponebant, plurimi sua confitendo peccata ad pœnitentiam properabant. Qui enim talia ministrabat semina seminanti, tales fructus abundantius ex talibus seminibus proferebat; propter quod labores ei leves & dies pauci, præ amoris divini magnitudine, videbantur.

[10] Sicut autem, ad labores quoslibet tolerandos, amor Dei & reportata laetitia de fructuum abundantia ipsum fortius roborabat; sic ad aggrediendum quæque ardua superna provocabat fiducia, experimentis pluribus comprobata. [ac fiducia in Deum.] Sic enim de superno confidebat auxilio, quod credebat, & vere; ut vix esse possent ita duræ cervicis homines in civitate vel castro, quin eorum corda salubriter subverteret, si tempus adesset prædicationi ejus diutius insistendi: Unde si (quod rarissime contigit) interdum accideret, quod urbem ingressus vel oppidum, in prima vel secunda

prædicatione copiosum populum non haberet; revelata fiducia prædicta, in sociorum suorum solamen illud Propheticum inducebat, adhuc quadraginta dies & Ninive subvertetur: quod non solum semel per eum sicut per Jonam, nec in una civitate tantum, sed multoties & in multis locis constat esse impletum. [Ion. 3, 4]

## ANNOTATA.

Vitæ Fratrum, Omnes fere consanguineos hæreticos habuit.

Petrinus, diminutivum a Petrus, juxta Italici sermonis vernaculam proprietatem, sæpe alias indicatam.

## CAPUT II.
## Muto loquela a S. Petro restituta, futura prædicta, oleum multiplicatum, morbum simulanti morbus immissus.

[11] Cum autem sicut pluvia doctrina ejus concresceret, inter ipsos eloquiorum imbres quasi effusos cælitus, Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis, plura cæperunt miracula coruscare. Dum enim die quadam Mediolani præ foribus ecclesiæ S Eustorgii prædicaret; cuidam juveni muto, ad eum ex devotione populi adducto, immisso digito in ore ejus ad corpus Christi conficiendum consecrato, [muto loquelam restituit:] soluto linguæ ejus vinculo loquelæ beneficium restituit: mox interrogatus puer, qui diu tacuerat, id est decem annis, quid in ore habuisset, Digitum, inquit, vestrum: & statim in uberes gratiarum actiones coram omnibus erumpens, apertorum noviter Christo vitulos labiorum reddidit; propter quod iniqua hæreticorum labia præ confusione obstrui debuissent, sed ipsi tamquam canes impudentissimi salutifera confusione non sunt

confusi & erubescere nescierunt: unde ad Sancti sui gloriam plura Dominus innovavit signa & mirabilia.

[12] [cuidam sanitatem corporis & animæ.] Meritis etiam servi Dei veniam de peccatis mereri potuit similiter & sperare mulier quædam Mantuana, de qua plurimi desperabant. In mortis enim discrimine constituta, per longum temporis spatium jam linguæ usum perdiderat: ad quam rogatus accedens, ut ad eam vita ingredi valeret per auditum, & mors egredi per loquelam, caputio reverenter extracto, præmisso Dominus vobiscum, primam lectionem Euangelii secundum Joannem primitus audire fecit, & mox, ut loquens peccata sua confiteretur, ei injunxit: qua incipiente uti, obedientia vel gratia potius salutari, stupefacti circumstantes ac læti de domo egressi sunt, ne peccata confitentis audirent: sed postea sic fortiter loqui cœpit, quod generalem confessionem, quam fecit in fine distincte audire & intelligere extra domum etiam potuerunt. Propter quod fama ipsius & gratia non solum in civitate prædicta, sed ubique quotidie per patriam augebatur, & diffusius rutilabat. Nec mirum quod hæc & alia plura dum viveret dignatus est Dominus per eum operari; plures enim energumenos & alios variis vexatos languoribus solo tactu vel signo Crucis liberavit, sicut plurimorum fide dignorum attestationibus est probatum.

[13] Sæpe etiam Cæsenæ ad predicandum ibat, ubi erat adeo gratiosus, quod, quando ejus a populo sciebatur adventus, multitudo maxima tanta cum alacritate & celeritate ei occurrebat, quod etiam nobiles & honorabiles valde matronæ, præ nimia festinantia & sine chlamydibus occurrebant; sine quibus alias juxta patriæ morem exire in publicum non audebant. Cum excipiebatur a populo, ad plateam ducebatur civitatis illius; ubi in eminentiori loco positus, sedentibus cunctis statim proponere verbum Dei cogebatur. Hoc facto, ad suum

ducebatur hospitium, ad ecclesiam S. Joannis Euangelistæ. Cum igitur præfatus Pater die quadam per Cæsenatensem civitatem transitum faceret, [alium a natta liberat] nobilem juvenem prædictæ civitatis obvium habuit, qui Joannes Blasii dicebatur: qui sanctum rogavit virum, ut ipsum manu sua tangens, eum a natta, quam decem annis in manu habuerat, curaret, quæ propter temporis prolixitatem jam fuerat ab annis pluribus indurata. Vir autem Dei, dicens hoc suis non competere meritis quod petebant, hoc facere recusabat. Cumque eum postulantis devotio perurgeret, apprehensa manu ejus, super nattam Crucis signum fecit, & dixit: Confide in Domino, fili, quia cito te liberabit. Statimque ambo ab invicem discesserunt: ille vero manum respiciens, nattæ tumore duritiaque evanescente, totaliter se liberatum invenit, Deo gratias agens.

[14] Aliquando vir sanctus in memorata hospitabatur ecclesia, quia Fratres ibidem locum adhuc non habebant; cumque quadam die olera pro eo pararentur, oleum in domo Sacerdotis contigit omnino non haberi. Tunc S. Petrus puerum ad nobilem quemdam de Cæsena sibi admodum familiarem misit, [oleum multiplicat] qui Bonacursius dicebatur, ut ei oleum pro prandio mitteret: ille autem anno ipso oleum in magna habuerat urna, sed diebus illis omnino defecerat. Doluit ille quod beato viro oleum mittere non valebat: sed ne puer putaret quod ex illiberalitate oleo se carere assereret, ait illi, Fili, erubesco, quod petitioni Patris mei annuere non possim; quia oleum, quod habueram, jam defecit: sed tu ipse ad vas perge, ut veritatem tuis conspicias oculis. Accessit puer ad urnam, & eam oleo plenam reperit, quæ prius vacua erat, ut etiam præ nimia abundantia superflueret. Quo viso vir ille gratias agens, totam viciniam ad hoc contuendum miraculum convocavit, & Beato Patri oleum sibi miraculose missum, quando indiguit, liberaliter ministravit.

[15] Cum autem iturus esset in Lombardiam, & ex Cæsena recedere vellet; die quadam civitatis illius convocato populo, devote eis proposuit verbum Dei; in fine vero sermonis dixit, omni audiente populo, Ego autem, filii, a vobis recedo, numquam ulterius vos visurus; tria igitur vobis prædicere volo, quæ infallibiliter implebuntur: primum est, quod post futuram Domini Resurrectionem proximam pro fide ab hæreticis occidar; quoniam ab eis mors mea ordinata est: secundum, [mortem sua præter alia] quod Romaniolæ provincia, quæ nunc pace fruitur, usque ad breve tempus, multis subjacebit e perturbationibus: tertium, quod propter peccata hominum regionis istius quidam adhuc homines dominabuntur, quorum linguam intelligere non poteritis, nec familiaritatem habere, quæ omnia, ut prædixerat Sanctus, sunt impleta.

[16] Cum esset S. Petrus Prior conventus Placentini, tantum corpus suum abstinendo, vigilando, orando, studendo, aliis virtuosis operibus laborando affligebat; quod Fratres eum D. Mathæo de Corigio, tunc Prætori, de hoc accusaverunt; affirmantes quod seipsum ante tempus occideret, sicut idem D. Matthæus postea referebat. Ibi autem a populo in maxima habebatur reverentia: contigit autem ut die quadam veniret ad eum uxor D. Joannis Scoti, quæ ad ipsum specialem habebat devotionem, ut sacris ipsius consiliis super tribulatione sua remedium percipere mereretur. [& prolem cuidam nascituram prædicit.] Quæ cum suas ei exposuisset angustias, & quod vir ejus propter patriæ h turbationes de civitate expulsus fuerat, & ad Montem-Pessulanum se transtulerat, & quod de pace nulla spes a populo habebatur, & insuper quod prole careret; vir Dei statim divino revelante spiritu ait illi: Confide in Domino, filia, & certa esto quoniam, antequam ab hodierna die annus compleatur, de viro tuo, qui in proximo Placentiæ cum pace reversus erit, concipies & paries filium, qui civitatis istius adhuc

Dominus erit. Post dies paucos pax ibi facta est, quæ prius impossibilis videbatur: & illius Dominæ maritus cum lætitia rediit, cui antequam annus compleretur, ut vir Dei prædixerat, natus est filius quem Albertum vocavit. qui post annorum non paucorum curricula pervenit ad statum, qui per S. Petrum prophetatus fuerat.

[17] Frater Wilhelmus Veronensis de Lavazanis, Ordinis Prædicatorum, vir religiosus & probus, dum esset juvenis; die quadam S. Petrum, qui ad prædicandum iverat, ad quamdam ecclesiam sociavit: & cum præfatus Frater quemdam illius ecclesiæ librum aperuisset, subito scorpio, qui ibi erat, manum ejus pupugit; cui puncturæ dolor statim & tumor successit. Et cum doloris angustia premeretur, S. Petrus audiens quod acciderat, venit ad Fratrem; [a scorpione læsum sanat.] & facto super manum Fratris Crucis signo, dixit, Pone, Frater, pedem super scorpionem, qui in terram decidit, ne quemquam ulterius ledere possit, & conside in Domino quia liberatus es. Cum ad effectum, quod Sanctus jusserat, ille mandasset, subito dolor ille ac tumor decessit, acsi punctura illa læsus non fuisset.

[18] Cum S. Petrus, zelo fidei & veritatis ignitus, hæreticos in suis disputationibus confutaret, nec non & miraculis evidentibus Christi virtute clareret; quidam hæreticus apud Mediolanum, zelo malignitatis accensus, pluribus hæreticis convocatis, ait: Populus iste stultus, qui F. Petro Veronensi tantam exhibet reverentiam, inter cetera ipsum magnificat, quod miraculis clareat: cogitavi igitur ipsum confundere, ut miracula ejus falsa esse appareat, erubescatque populus, qui ipsum de miraculorum operatione commendat. Ego enim cum per omnia sanus sim, gravem me habere infirmitatem simulabo, ipsumque, ut mihi sanitatem restituat, exorabo; ipse me signabit & tanget, & ego me liberatum ostendam. Cum autem populus miraculum hoc ejus enarrabit, ego e contrario me

nullatenus infirmum extitisse asseram, vosque testimonium perhibebitis jurati, & per hunc modum nullus ejus miraculis fidem adhibebit amplius. Placuit illis malignitatis sermo, & S. Petrum in deceptione hac confundere cogitarunt, quem in disputatione fidei superare non poterant. Venit igitur hæreticus ille ad ecclesiam Fratrum Predicatorum de Mediolano, [hæretico morbum simulanti febrim immittit,] baculo se sustentans, quasi super pedes subsistere non valeret; & S. Petro debili ac subdola voce ait: Pater sancte, cum ego periculose & gravissime sim infirmus, & medicorum remedia mihi prodesse nequeant; rogo, ut me manu vestra tangatis, & vestrorum auxilio meritorum sanitatis mihi beneficium impendatis. Tunc sanctus vir, sancti Spiritus illustratus gratia, ait: Rogo Dominum meum Jesum Christum, ut si infirmus es, sanitatem tibi restituat: si autem infirmitatem fraudulenter simulas, corpori tuo ad animæ salutem infirmitatem tribuat. Statim ut hæc complevit verba, gravissima eum arripuit febris, ita ut super pedes suos subsistere non valeret, sed ad domum propriam aliorum obsequio portaretur. Cumque in lecto positus fuisset, & ad eum convocati medici fuissent; deficientibus medicinæ remediis, per illos judicatum fuit, quod in brevi moriturus erat. [sed iterum sanat, etiam quoad animam.] Tunc vexatione auditui intellectum præbente, ille devotione non ficta S. Petrum ad se venire postulavit; cui malignitatis suæ culpam detegens, & se peccasse humiliter confitens, abjurata hæresi fuit statim per S. Petri orationem & merita ab infirmitate mentis & corporis liberatus. Confusi vero fuerunt hæretici, & mentita est eis iniquitas, qui virum Dei confundere nitebantur.

[19] Quadam die cum cuidam ex hæreticorum prioribus, multum malitia & cavillatione acuto, [alterum ex garrulo mutum facit.] obviasset, hæreticus ille ad disputationis certamen eum in loco patenti invitavit; at ille pugnam non

renuit, ne adstantes, si reluctaretur, Petrum confusum arbitrarentur & convictum. Congressis igitur in verborum prælio, hæreticus argumenta sua satis subtilia ad suam probandam perfidiam fecit; at S. Petrus, cum esset improvisus, moram aliquam ad respondendum sibi concedi petiit; qua data, cunctis exspectantibus, Sanctus Dei ecclesiam, quia prope erat, intravit, ante S. Virginis altare devotius cum lacrymis oravit, ut defensioni veræ fidei suæ provideret; cumque aliquis titubationis motus in eo insurgeret, propter quod ferventius devotiusque orabat, omni amota ambiguitate in fide solidari se sensit, ab imagine S. Virginis voce audita: Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua. Inde ergo confortatus, egressus ad hæreticum ab eo postulavit, ut inductas iterum replicaret rationes; ille autem Dei virtute ita mutus effectus est, ut nec unum quidem verbum proferre valeret, sicque confusus abscessit.

## ANNOTATA.

Secutum est nempe Fridericianum schisma, quod plerasque Romandiolæ urbes a Pontifice & Ecclesia distraxit; pace autem composita recruduerunt intestina bella inter civitates, a quibus nec Cæsena libera fuit.

Idem asserit, has turbas dicto anno fuisse concitatas a plebe contra patritios; & electo in Potestatem, ut appellant, Vberto de Iniquitate, vehementius incaluisse animos partium.

## CAPUT III.
## Dæmon a S. Petro fugatus, hæretici Florentia pulsi, pes cuidam restitutus, solatium a Christo e cruce datum, præstigiæ hæreticorum dissipatæ.

[20] Die quadam S. Petrus apud Florentiam, convocato populo civitatis in platea, quæ Mercatum a novum dicitur,

verbum Dei multitudini magnœ prœdicabat. Cumque in ipsius prosecutione sermonis vir Dei prœdicationi ferventer insisteret, & populus his quœ ab eo dicebantur devote pariter & reverenter intenderent; accidit, ut cujusdam nobilis de Florentia puer, cum dextrario magno sui Domini, ab locum ubi S. Petrus populo prœdicabat appropinquaret. Et ecce subito (forsan generis humani inimico procurante, ut viri Dei prœdicatio & populi devotio turbaretur) celerem equus arripuit cursum renitente cursore, ipsumque protinus ad terram proiicens, versus populum in platea sedentem magna cum velocitate currebat. Populus autem equum videns, per plateam transitum facere volentem, perterritus est: propter pressuram vero magnam, quœ ibi aderat, divertere non poterant, nisi hi qui in extrema erant parte constituti. Videns autem S. Petrus populum terrore commotum, [calcatos ab equo illœsos servat.] subito Dei spiritu confortatus, extenso brachio populum Crucis munivit signaculo, & magna exclamans voce dixit: Nullus surgat, nullus timeat, nullusque divertat: quia Christi gratia prœstabit auxilium, ut nemo lœdatur. Tunc equus cursu rapido prosiluit in populum; & ab uno plateœ capite usque ad aliud transitum faciens, pedes suos super capita, genua, renes & humeros virorum ac mulierum ponens, hunc in modum magnam populi partem pedibus conculcavit, sicque pertransivit & recessit. Quo facto, diligenti inquisitione facta per populum, repertum est, quod Christi operante gratia nullus omnino lœsus extitit, sicut per virum Dei fuerat ante dictum.

[21] [dœmonem fugat.] Alia vice in eadem civitate, prœdicante S. Petro in foro veteri, humani generis hostis, fructificationem ejus ex doctrina prœdicationis ejus invidens, impedire quœsivit, sed non prevaluit: in forma enim equi nigerrimi apparens, movens se ex strata fabrorum ferrariorum, cursu velocissimo ad plateœ fori ipsius principium advenit, ut ejus aspectu & cursu

audientes territi, fugam caperent; at a viro Dei Crucis facto signo contra eum, subito disparuit, neminem lædens: sicque spe sua frustratus est coluber tortuosus & unde ab attentione verbi Dei distrahere procuravit, inde ex miraculo eos fecit magis devotos.

[22] Erat autem Florentiæ haud modicus eorum qui illa Manichæorum hæresi infecti erant numerus, diabolum rerum visibilium creatorem asserentium; contra quos S. Petrus, pugil egregius & hæreticorum Inquisitor, [hæreticos Florentia pellit:] viriliter dimicavit: quibusdam de Rubeorum familia nobilibus & aliis Catholicis vexillum exhibens Cruce insignitum, ut ipse verbis & illi gladiis contra hæreticos Domini prælium exerceret. Certamen invicem ineuntes Catholici hæreticos superarunt ultra Arni fluvium, in platea d S. Felicitatis; & circa Arnum in loco, qui Puteus ad S. Sixtum dicitur, non multum a conventu Ordinis distans, eosdem de urbe egredi compulerunt; ne carnes putridæ residuum corrumperent corpus, & morbida ovis reliquum corrumperet gregem. Adhuc perseverant in dicta civitate victoriæ signa, signa Crucis in lapide sculpto & super columnam imposito; sed & ipsum crucis vexillum anniversario natalis ejus die defertur a viris societatis cujusdam, quæ S. Petri Martyris nuncupatur, cum ad ecclesiam Fratrum ad offerendum accensos cereos accedunt. Ipsam quoque societatem dicitur S. Petrus Martyr instituisse, cui, cum Fratres possessiones non retinerent, multa immobilia sunt legata per testatores, ut ex eorum redditibus fierent Fratribus dicti Conventus Ordinis Prædicatorum pitanciæ infra annum.

[23] Tempore quo S. Petrus prædicationis officium per Italiam fructuosissime exercebat, contigit iuvenem quemdam, ad ejus Prædicationem compunctum, ad ipsum accedere pro suorum confessione peccatorum; qui inter cetera confessus est se ex turbatione quadam matrem

suam pede percussisse. Sanctus vero Petrus eum de talis præsumptione criminis arguens, inter cetera ad ejus terrorem dixit, quod pes ille, qui matrem percusserat, abscidi mereretur; dataque illi salutari pœnitentia, ipsum absolutum abire permisit. [pedem amputatum restituit:] Juvenis vero, verbum S. Petri de pedis amputatione diu mente pertractans, diabolica persuasione deceptus, accepta clam dolabra, sibi pedem in vindictam sceleris amputavit. Cumque præ dolore nimio clamores emitteret, pater ipsius ac mater ceterique de familia cucurrerunt. Audito autem quod S. Petri verbo sibi occasionem acceperat ad tale procedendi judicium, omni mora post posita, pater ipsius S. Petrum adiit, casumque exposuit dolorosum; rogans, ut dolorosum juvenem videre non abnueret, ipsumque apud Dominum precibus adjuvaret. Pius autem Pater, assumpto socio, ad ipsum accessit: & pia compassione commotus, deque Christi pietate confisus, omnibus qui aderant exclusis, illius parentes sociumque retinuit; & flexis genibus devotissime multis cum lacrymis Dei clementiam invocavit; surgensque cum magna ad Deum fiducia, in manibus pedem accepit, ipsumque cruri applicans & Crucis signaculo consignans, ipsum subito sic sanavit, ac si nullum unquam vulnus habuisset; in signum tamen miraculi, cicatrix tenuis in junctura pedis remansit, omni penitus deformitate carens.

[24] Cum ob fidei constantiam & devotionem, qua totus ardebat S. Petrus, multas persecutiones & molestias pateretur, contigit eum quadam nocte ad tantam labi cordis tristitiam, ut penitus quid ageret ignoraret. Et quoniam scriptum est, Dum ignoramus quid agere debeamus, hoc solum habemus refugii, ut oculos nostros dirigamus ad te: quadam die apud Mediolanum ante Crucifixi imaginem toto corde cum lacrymis & gemitu se prostravit, & se ei commendans dixit: Domine Jesu Christe, qui omnia nosti, tu scis me non egisse ea propter quæ tantas sustinere merear angustias. [2 Par. 20, 12] Cui

protinus imago Crucifixi respondit: Fr. Petre, & ego, quid egi, ut crucis supplicium sustinerem? verumtamen confide, quia ego tecum sum & ad me cum corona honoris & gloriæ venies. Tunc S. Petrus, omni remota tristitia, cælesti voce confortatus, ait; Deus meus es tu & ego servus tuus, fiat voluntas tua. [in persecutionibus a Christo e cruce loquente solatium accipit:] Et ex tunc nullo pavore perterritus, persecutiones & minas, nec non & mortis pericula constanti animo tolleravit. Ne autem hoc propter S. Petri humilitatem occultaretur, adhibuit Dominus revelationi huic testes fideles. Quidam enim Frater devotus, ad ostium Capituli S. Petro astans, hoc vidit, Crucifixique vocem S. Petro respondentis audivit. Alteri quoque Fratri in infirmitorio, orationi devote insistenti in spiritu rapto, totum divinitus eadem hora est ostensum.

[25] Quadam die dum S. Petrus per Mediolanense territorium iter faceret, duos reperit viros, agros suos seminantes, quorum unus Catholicus erat, alter vero hæreticus. Catholicus vero in principio operis Dominum invocabat in sui auxilium; hæreticus autem diabolum, quem tamquam visibilium factorem, terræ ac frugum gubernationem habere credebat. Cumque se invicem audirent, [hæreticum immissa in agrum sterilitate ad fidem convertit.] unusque alium de credulitate mala argueret; supervenit S. Petrus, qui Dei nutu inde transitum faciebat; qui ad illos accedens, & altercationis audita causa, de divina virtute ac misericordia confisus, hæretico dixit: Pro parte Domini nostri Jesu Christi me fide jussorem exhibeo, quod istius Catholici ager, in Christi nomine seminatus, fructum proferet copiosum; ager vero tuus nullum penitus fructum faciet; si mihi promittere vis, quod hoc viso miraculo, ad Romanæ Ecclesiæ fidem veraciter converteris. Quo promittente, quod Beatus ab eo exigebat Petrus, se impleturum, si quod promiserat eveniret; S. Petrus cœptum prosecutus est iter: ager autem viri fidelis, virtute Christi operante,

uberes protulit fructus: ager vero hæretici tantæ fuit sterilitatis, ut nec herbam quidem proferret nec folium anno illo: propter quod hæreticus, ut promiserat, ad Christi fidem conversus est.

[26] Eo tempore, quo S. Petrus, pro zelo fidei, per Mediolanensem comitatum, prædicando & disputando infatigabiliter, discurrebat; nobilis quidam & fidelis vir, qui in castro quodam dicti comitatus habitabat, ejus caritate ductus, ipsum in suo sæpe suscipiebat hospitio. Hæretici autem, qui in dicto morabantur castro, S. Petrum, propter zeli ipsius fervorem, exosum habentes, nobilem illum a servi Dei familiaritate, & a fidei rectitudine avertere conabantur. Cumque incassum pluribus laborassent diebus, unus ex hæreticis ipsis qui nigromanticus erat, diabolica illum machinatione pervertere cogitavit, [amicum, diabolicis præstigiis a fide abductum,] quem falsis verborum persuasionibus immutare non poterat. Dei autem quadam ad hæreticorum ecclesiam, quam in castro habebant, duxit, in qua nefanda sua conventicula faciebant; dixitque sociis præsentibus, viro illi fideli; Ut cognoscas te ab illusore illo Fratre Petro Veronensi deceptum, & quod fides nostra vera est, Romanæque Ecclesiæ fides falsa; rogo Dominum, ut nobis præsentibus miraculose tibi veritatem ostendat. Statim autem ut verba finivit, diabolica affuit illusio: nam splendor quidam quasi cælitus missus apparuit, qui totam illam hæreticorum ecclesiam illustravit; post quem diabolus, in aspectu & forma speciosæ & venerandæ Dominæ transfiguratus, super altare stetit, pulcherrimum, ut videbatur, puerum manibus tenens; fidelemque virum proprio vocans nomine, dixit: Tu quidem mea indignus eras gratia, quia Fratris illius Petri Veronensis, mei, & filii mei quem brachiis teneo inimici, prædicationibus credens, fideles meos, qui hic præsentes sunt, & doctrinam ipsorum piam & veram spernere videbatis: sed quia mater sum misericordiæ, para tibi

remittere omnia, si Fratrem Petrum vis dimittere, & his fidelibus meis adhærere. His auditis & visis, nesciens vir ille inter machinamenta diaboli & fidei veritatem discernere, ignorans non esse omni spiritui credendum, statim maligni monitis acquiescens, cujus nescivit calliditatem agnoscere, flexis genibus se per ignorantiam errasse confessus est; & veniam petens, ad hæreticorum [fidem] conversus est. Sicque maligni visio disparuit. Post non multos dies contigit S. Petrum, inde transitum facientem, ad solitum hospitium declinare. Nobilis autem ille, tristi eum vultu suscipiens, doluit quidem quod ad eum declinaverat; sed quia sero erat, erubuit ei hospitium denegare. Vir autem Dei hoc prudenter attendens, cognovit eum ab hæreticis immutatum: qui ipsum ad partem alloquens, invenit, ut cogitaverat, ita esse. Cumque cognovisset eum diabolica fraude [deceptum], cogitavit ipsum argumentis & auxilio veritatis ad fidem reducere, qui diabolica illusione fraudulenta fuerat dementatus. Et quoniam qui vult jacentem erigere, debet se ad apprehendendum illum aliqualiter inclinare; imitatus Apostolum dicentem, Factus sum Judæis Judeus, ut Judæos lucrifacerem; prudenti usus consilio, prætendit se, propter ea quæ ab illo audierat, quasi in parte rationabilia viderentur, aliquantulum titubare: dixitque illi, libenter se velle eos audire in eorum ecclesia; & siquid ei verbis rationabilibus aut signis ostenderent, eis fideliter adhærere. [I. Col. 9, 10]

[27] Ille autem gaudens si tantum possit lucrari virum, confestim clam hæreticos adiit, rogavit, ut mane sequenti ad ecclesiam convenirent, orarentque Dominum ut Fr. Petro veritatem ostendat, quam sibi demonstrare dignatus est. Gaudent hæretici, beatos se reputantes, si illum possint habere propitium, quem sic fortissimum habebant impugnatorem. Ille autem nigromanticus hæreticus dixit, [iis per SS. Eucharistiam detectis ac dissipatis,] se nullatenus [dubitare] quin Beata Virgo,

quæ illi apparuerat nobili, Fratrem etiam Petrum sui etiam gratia visitaret, & ad bonorum hominum fidem attraheret. Noctem illam fere S. Petrus duxit insomnem, devotioni & obsecrationibus vacans, ut Christi pietas diaboli machinamenta ad honorem detegeret catholicæ veritatis. Primo vero mane consurgens, quasi matutinas dicturus, exivit domum, & ad Catholicorum ecclesiam Missam celebraturus accessit; & antequam adveniret populus Missam celebrans, duas consecravit hostias; quarum unam sumpsit, alteram vero clam sub [cappa] in pyxide portans, ad hospitemque confestim accedens, dixit: Bonum esse, ut sicut dictum fuerat, ad hæreticorum properarent ecclesiam. Cumque omnes, ut præordinaverant, convenissent hæretici: surgens nigromanticus ille hæreticus, ante altare nequiter se prosternens, ait: Oro Domine, ut Fr. Petro, adstanti hic, veritatem fidei tuæ aperire digneris. Tum, ut prius actum fuerat, operatione diabolica non modica apparauit lux, & in forma virginis filium in gremio tenentis super altare stetit [dæmon] & ait: Fr. Petre, qui usque nunc mihi fuisti contrarius, ego pietatis mater parata sum a filio meo tibi misericordiam impetrare, si Romanæ Ecclesiæ errore relicto, horum meorum fidelium volueris adhærere consortio. Tunc S. Petrus pyxidem, in qua Christi posuerat corpus, quam sub cappa detulerat, protulit, & ipsam aperiens, dixit ei: si es vere mater Dei, [cum multis aliis reducit] adora hunc filium tuum. Ad hujus vocem & corporis Christi ostentationem omnis illa phantastica visio disparuit, cum strepitu terribili & fœtore, pariesque ecclesiæ malignantium a summo usque deorsum scissus est: nobilis autem ille, qui a diabolo seductus fuerat, cum pluribus aliis ad fidei veritatem & ad S. Petri rediit reverentiam: ex quo confusi sunt vehementer hæretici, & sectatores impietatis & pravitatis.

## ANNOTATA.

Dextrarius, equus generosior, sic dictus quod ad, pompam magis quam usum, pretiosis instratus ornatusque ephippiis, famulorum manibus deducatur, in eoque a communi equo seßorio differat. Teutones a manuductione Handpaardt dicunt. Hinc corrige Auctores vocabularii de la Crusca, causam nominis sumentes a dexteritate seu agilitate: nam agilitas quidem equi est, sed ea in hoc nomen non influit; dexteritas enim non est equi, sed sessoris.

Pitancia, certum cibi potusque dimensum, in miraculis S. Thomæ Aquinatis 7 Martii num. 31 Pietantia scribitur, quasi a pietate, velut eleemosynæ nomine tributa: verosimilius est vocem a Gallis acceptam, & ex eorumdem Pite, quo dodrans unciæ significatur, esse derivatam, ut propriißime sit idem quod unciatim dimensum vel appensum, uti fieri apud monachos solebat. Nisi malis a Saxonico aut Teutonico pitten aut putten (quod ponere vel haurire significat) etymon petere, ut sit id quod singulis apponitur vel hauritur.

Eadem historia, plenius & diversimode aliquantum, a S. Antonino narratur his verbis: In illo tempore, cum per Longobardiam & Tusciam ac Romandiolam prædicando discurrit; contigit ei quemdam adolescentem, ad doctrinam ejus compunctum, in confessione audire: [Iuvenis qui matri calcem impegerat] & inter cetera confessus est se matrem calce percussisse. At Sanctus, facinus horrens, cum amaris lacrymis eum redarguit, ostendens gravitatem sceleris. Cujus verbo & exemplo commotus. Quid me, inquit, facere jubes, Pater, in satisfactionem tanti mei flagitii? Ecce ad omnia paratus sum. Certe, ait vir sanctus, ille pes mereretur abscindi, qui instrumentum fuit tantæ impietatis, cum & Christus dicat in Euangelio, si pes tuus scandalizat te, abscinde eum & projice abs te. [Matt. 18, 6] Non tamen hoc tibi dico ut facias: sed cave in futurum: facies autem talem &

talem pœnitentiæ satisfactionem. Recedit adolescens, cum non modico zelo ulciscendi patratum excessum, licet non secundum scientiam. Reversus domum accepit non parvum cultellum, & in fervore spiritus pedem abscidit. [pedem sibi abscindit.] Dolor intensus sequitur, quem fervor non tulit nec minuit. Clamat præ dolore, & voces audiuntur sanguisque effluit copiose in terram. Cucurrit mater, cernit pedem abscissum sanguine fluentem: & dolore quasi extra se posita, vocat amicas & vicinas. Accurrunt omnes, stupore replentur, nescientes rei causam, intendunt quam citissime ad sanguinis fluxum restinguendum; & cura quæ potuit esse adhibita, sciscitantur adolescentem, quomodo & qua de causa id actum fuerit. Respondit juvenis se confessum illi Prædicatori Petro, [de quo incusatus, sanctus] & inter cetera de calce matri illato: quod peccatum ostendit ei ita enorme fuisse, ut non videretur adolescenti sufficienter satisfacere posse, nisi pedem puniendo per abscissionem. Querulatur mater, notæ coadiuvant, vicinia impletur murmurationibus, in contumeliam F. Petri & conventum, tenentem Fratres ita indiscretos & fatuos, qui pœnitentiam injungant adolescentibus abscindendi pedes. Pergunt ad Conventum festinanter, vocant Priorem, querelam exponunt contra F. Petrum, explicant casum. [pedem restaurat.] Exponitur hoc sancto viro: excusat se ille non injunxisse tale opus. Verum ad providendum simplicitati adolescentis, jussit adduci cum pede abscisso. Quo facto, oratione præmissa, pedem abscissum junxit & coaptavit tibiæ in loco incisuræ: & subito insita est & incarnata cum pede tibia, ac si nulla ibi fuisset incisura. Et videntes qui aderant, glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus, & simplicem fatuitatem juvenis convertit in gloriam Sancti sui. Hactenus Antoninus, in quibus hoc solum minus placet, quod non ivisse ipsemet Petrus dicatur, sed jußisse ut juvenis adduceretur.

Nigromanticus pro mago sumitur, Nigromantia pro magia: vocis sic formandæ seu deformandæ occasionem præbuerunt, usus vulgaris magicas artes vocandi nigras artes, ut solent Teutones, & affine nomen Necromantiæ: quæ dicitur a mortuis petita devinatio, etiam in sacris litteris nota.

## CAPUT IV.
## Muto loquela a S. Petro restituta. Sanctitas ejus cælitus prodita. Sereno cælo nubes inducta: officium Inquisitoris collatum & exercitum.

[28] Dum matrona quædam nobilis apud Venetias, in ecclesia Fratrum, ad pedes S. Petri pro confessione sederet; puer quidam qui semper mutus fuerat, per ecclesiam currens ad ipsam sæpe veniebat. Cumque beatus vir interrogasset, an puer ille ad eam pertineret; respondit: Domine, filius meus est de quo haud modicam patior tristitiam, [muto loquelam restituit:] quia mutus est, & numquam verbum proferre potuit. Tum Sanctus, de Deo concepta fiducia, puerum ad se vocavit; & ore ejus aperto, manu sua linguam ipsius [extraxit, &] Crucis signaculo super eam facto, dixit: In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti: statimque puer respondit, Amen. Et ex tunc loquelæ usum perfecte recuperavit, qui omni vitæ suæ tempore eam non amisit. Cum FF. Prædicatores Venetiis in ecclesia S. Martini habitarent; contigit S. Petro ibidem adstanti, ut civis quidam uxorem suam innocentem de adulterio suspectam haberet: cumque experimento candentis ferri de sua se vellet suspicione certificari, illaque ad tactum igniti ferri nullatenus læsa fuisset; [mulierem in mortis periculo servat.] unde ille dare gloriam Deo debuit, inde peccatum auxit, putans hoc ex diabolica illusione advenisse: & præ furore uxore ad terram prostrata, arreptoque cultello talos ejus abscidit: & sic eam dimittens, statim abscessit. Cum igitur vicinæ mortis expectaret periculum, S. Petrum, ad quem

magnam habebat devotionem, instantibus accessivit precibus, ut ante mortem de suis peccatis ei confessionem faceret, & ab eo absolutionem recipere mereretur, S. Petrus adveniens, ejus confessionem audiens, & pœnitenti animo absolutionis remedium contulit, & morienti corpori beneficium impetravit integerrimæ sanitatis.

[29] Antequam FF. Prædicatores Ravennæ locum haberent, Rector & clerici ecclesiæ S. Ioannis Baptistæ civitatis ejusdem, ipsos, Ravennam ad prædicandum euntes, pro divini verbi reverentia suscipiebat hospitio. Accidit, ut quodam sero hiemis tempore, S. Petrus, prædicationis gratia Ravennam ingrediens, ad præfatan declinaret ecclesiam: qui, quamvis penitus esset ignotus, caritative tamen susceptus est. Cumque cum clericis in devota collatione fuisset; rogavit, ut mane cum campanis pro prædicatione signum facerent quia populo prædicare intendebat. Et cum Clerici, propter temporis malitiam, ut a prædicatione supersederet, persuaderent, quia credebant omnino populum non venire, ait: Omnino fiat signum, ut dixi, quia omnino, si Deo placuerit, prædicabo. [cælestibus ostensis Ravennæ adventus ejus & sanctitas proditur,] Nocte vero sequenti, dum S. Petrus in camera Fratrum quiesceret cum socio, & Clerici, ut quiescerent, lectos intrassent, superque totam civitatem nix magna descenderet; super præfatæ ecclesiæ campanile cereus maximus ardens & lucens apparuit, qui cunctis de civitate ipsum videntibus non modicam præbuit admirationem. Concurrunt quamplures confestim ad ecclesiam, & dormientes Clericos magno cum strepitu excitantes percunctati sunt, cur cereus tam magnus in campanili positus fuerat, & quomodo fieri potuit, quod dum sic fortiter ningeret, flamma a nive non extingueretur Clerici vero viso prodigio stupuerunt, cum nullus hominum nocte illa campanile ascendere potuisset. Et dum rei hujus causam aliam cognoscere non valerent, dixerunt: nullam

aliam scimus assignare causam, nisi quia sero ad nos declinavit Frater quidam de Ordine Prædicatorum, qui homo videtur magnæ sanctitatis & gratiæ, qui dixit mane velle prædicare. Præ reverentia autem S. Petrum inquietare nolentes, quia die præcedenti valde fatigatus fuerat, omnes ad propria redierunt, mane autem facto cum populi multitudine redierunt. Tum S. Petrus, secundum collatam sibi a Domino gratiam, sic devote & gratiose prædicavit populo verbum Dei, quod tota civitas ad devotionem & pœnitentiæ fructum commota est; propter quod multis diebus ibidem moratus est, prædicationi & audientiæ confessionum vacans, [multi convertuntur ad pœnitentiam.] & multas Domino acquirens animas, cujus honorem in suis prædicationibus fideliter procurabat; sicque ex fervore & fulgore prædicationis ejus, & animarum copioso fructu, cunctis manifeste patuit, quod in signo ardentis & lucentis cerei fuit congrue designatum.

[30] Cum pestis hæretica in Lombardiæ provincia pullularet, & multas jam civitates contagione pestifera infecisset; summus Pontifex D. Innocentius IV, attendens quantum fieret ovibus luporum periculosa commixtio, ad pestem diabolicam abolendam, diversos Inquisitores de Ordine Prædicatorum (quasi diversos canes qui lupos arcere possent a gregibus) in diversis Lombardiæ partibus providentius delegavit. Sed cum Mediolani hæretici, non solum multi numero, sed etiam magni seculari potentia, acuti fraudulentia, [Inquisitor fides ab Innocentio IV constitutus,] eloquentia garrulosi, & diabolica pleni scientia residerent; idem summus Pontifex sciens & intelligens S. Petrum virum esse magnanimem, qui ab hostium multitudine non paveret; advertens quoque suæ virtutis constantiam, per quam & adversariorum constantiæ nec in modico cederet; cognoscens etiam ejus facundiam, per quam hæreticorum fallacias detegeret; non ignorans insuper ipsum mundana

sapientia plene eruditum, per quam frivola hæreticorum argumenta rationabiliter confutaret; utpote inter hæreticos a puero conversatus, & qualiter sensum perverterent Scripturarum, & quibus verbis suam sauciatam conscientiam palliarent, frequentibus pugnis divinisque experimentis edoctus; ipsum, tamquam fidei pugilem strenuum & tam indefessum Domini bellatorem, in Mediolano & ejus comitatu instituit, & Inquisitorem hæreticæ pravitatis auctoritate concessa plenaria ordinavit. Ipse igitur injunctum sibi officium diligenter exercens, Sampsonis vulpeculas perquirebat & dissipabat ubique, nullam eis requiem tribuans, sed mirabiliter omnes confundens, & potenter expellens ita ut non possent resistere sapientiæ & spiritui, qui loquebatur per eum. Ad hoc inerat beato pugili specialis certa di fiducia contra hostes, ex divina revelatione infusa. Nam dum semel, aliquantulum ex futuris & incertis eventibus pavidus, ante altare S. Virginis suos agones Virgini commendaret; per Virginem Virgini dormitanti est responsum, [animatusque a S. Virgine] quod per filium Virginis imminente passionis tempore fuit alteri Petro dictum: Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua. Unde nec eum certa fiducia diffisum, nec fervor indefessus tepidum, nec experientia timidum permittebant; sed sicut leo fortissimus bestiarum, ad nullius pavens occursum, pluries hostibus offerebat sub tali conditione congressum, videlicet quod ipsi secum ducerent quos possent, de toto exercitu Scripturarum, ipse vero contentus esset uno milite contra eos; S. Paulum exprimens & eligens, velut invictum pugilem contra omnes fidei perversores. Frequenter etiam hæreticis se in ignem projicere obtulit, [hæreticos lacessit:] pro veritate fidei adstruenda, si ejus in igne comites fieri assentirentur. Insuper pro fide vitam suam, non solum periculis, sed morti exponere avidus, forsitan ex divina revelatione hac fuit, quod tam fidenter quam frequenter prophetico spiritu proferebat in medium: [Martyrium suum] nam de

suo felici martyrio & etiam de loco propriæ sepulturæ, utrumque Fratribus per hunc modum repertus est prædixisse: Scitote, me numquam nisi per manus infidelium moriturum; & non dubitetis, quin Mediolani me oporteat sepeliri. Sed nec de suo metuebat præmio, [& canonizationem prædicit:] qui sic de merito certus erat: sciens enim cui crediderat, nec imprudenter sed confidenter, sicut post bella victoriam, sic coronam sibi post victoriam arrogabat, ut firmiter saperet & crederet, quod adhuc nominaretur in litaniis & quod festum suum in kalendariis scriberetur. O beatum virum, cui ex præsenti vita jam futura inceperat, & cujus pedes jam in cælestis Jerusalem atriis stantes erant! & qui adhuc in carne corruptibili positus, jam gloriæ incorruptibilis & laudis perpetuæ primitias degustabat!

[31] Cum die quadam apud Mediolanum, Episcopum quemdam Catharorum S. Petrus examinaret, multis Episcopis, Religiosis & maxima copia civitatis ad hoc spectaculum congregatis; & dies tum ex prædicatione, tum ex hæretici examinatione in longum protracta fuisset, maximusque æstus cunctos affligeret; hæresiarcha ille, tempore subsannationis invento, cœpit coram omnibus exclamare: o Petre perverse, si tu es ita Sanctus, sicut hic stultus populus te affirmat, cur permittis ipsum tam graviter æstu affligi, & non rogas Deum, ut interponat nubem aliquam, ut non moriatur hic stultus populus tanto æstu? Cui cum athlera fidei fiducialiter respondisset, quod dixerat se facturum, si promitteret, quod abjurata hæresi protinus converteretur ad fidem; multi ex Catholicis super obligatione S. Petri contristari cœperunt, [sereno cælo nubes inducit:] timentes ne fides Catholica ex hoc confusionem pateretur: & e converso multi ex infidelibus sunt gavisi, confusionem viri cum gaudio exspectantes, præcipue cum in toto aëre nulla vel minima nubecula appareret; proinde, ut promitteret, suum Episcopum cum clamoribus infestabant. Cumque vel isto

modo hæretici pertinacia, se obligare nolentis, frangi non posset vel aliquatenus emolliri; S. Petrus, qui vel propter infidelium gaudium vel timorem fidelium non fuerat infirmatus, sperans in Domino, Ut appareat, inquit, quod bonus Deus visibilium omnium & invisibilium sit creator & factor, rogo ipsum, ut ad consolationem fidelium in se credentium & non credentium confusionem, aliquam nobis dignetur nubeculam mittere, quæ inter solem & populum interposita, nos ab hoc æstu defendere valeat. Quod ubi de quodam eminenti pulpito, Crucis præmisso signaculo, explevit; mox Dominus de quadem nube quasi tentorium eis fecit, quæ umbræ suæ per longum tempus omni populo præbuit velamentum, & causam exultandi auxit fidelibus & contra hæreticos disputandi.

[32] Altera die similiter ad disputandum cum hæreticis constituta, e morantibus Fratribus de vicinis conventibus vocatis, filii tenebrarum prudentiores filiis lucis, cum essent armis veritatis exuti, se multitudine armaverunt; ut quem ratione non poterant, saltem multiloquio superarent. [garrulum hæreticum,] Adfuit insuper eorum stipatus frequentia quidam, quem elegerant suæ perfidiæ defensorem, vir clamosus garrulusque & malitiosis sermonum versutiis eruditus, Is ubi pugilem fidei cum socio suo conspexisset adstantem, statim verborum laqueos ejus pedibus præparavit; & ut incautum corruere faceret, cœpit importune & clamose insistere, ad ea, que proposuerat, responderet. Quo sæpius acclamante, vir Dei attendens, [oratione facta,] vir Dei attendens, quod servum Dei clamoribus litigare non decet; & ubi non erat auditus, verba veritatis & sobrietatis effundere non prodesset; recordatus misericordiæ Domini, totum se ad orationem devote contulit, supplicans ut hostes vel juste erubescerent tamquam impii, & muta fierent labia dolosa, aut super eos sol veræ intelligentiæ oriretur. Nec mora, [elinguem reddit:] mox duorum alterum, quod petiit, impetravit, prout utriusque partis

merita exigebant. Cum enim fidei defensor fiducialiter insisteret adversus veritatis adversarium, ut ad huc quœreret quod quœrebat, ita divinœ virtuti diabolica verba cesserunt, ut ille paulo ante loquax & garrulus, sic subito mutus quasi effectus est & elinguis, ut nec ad quœrendum nec ad respondendum os aperire ad verbum unicum prœvaleret: propter quod ejusdem perfidi comites infideles dissipati sunt ab invicem, nec compuncti, eorumdem duritia resistente.

[33] Semel contigit, eo iter agente cum Episcopo Placentino, quod ad domum diverteret nobilis viri Domini Gaufredi Comitis de Lumello, cujus filium, Henricum nomine, ita gulœ tumor compresserat, quod nec loqui nec spirare poterat: propter quod parentes de proxima filii morte anxii, & desperati de vita, audito Fr. Petri Veronensis adventu, [angina applicata veste ejus depellitur:] ambo properant in advenientis occursum, & moriturum puerum dolenter nuntiant & solicite recommendant. Quo accedente, levatis ad cœlum manibus & Crucis in eo facto signaculo, puer jam [morti] devotus, suo tam languenti collo, tamquam aliquod salutare remedium, ejus cappam adhibuit; & benedictione recepta, recepit pariter sanitatem. Quod pater diligenter attendens, empta illi nova cappa, tantœ virtutis vetus vestimentum retinuit, quod postmodum nequaquam ad insipientiam ei cessit. Procedente vero tempore idem nobilis, vehementi dolore viscerum gravatus, credens & metuens sibi exinde mortis imminere periculum, cappam ipsam, quam ex tunc conservaverat, reverenter afferri fecit; qua suo apposita pectori, mox vermem, duo capita habentem & pilorum densitate villosum, evomuit; statimque plenœ sanitatis consecutus est effectum.

[34] Dum vero in conspectu magnatum magnificaret Dominus Sanctum suum, non minus pauperibus &

religiosis erat affabilis, & amabilis habebatur specialis devotionis affectu: quibus cum frequenter visitationis gratiam impenderet, flammas inter eos divini amoris accendens, confirmans vacillantes sermonibus suis, confortans manus remissas & genua trementia roborans, contigit, ut in quodam burgo Mediolanensis diœcesis, nomine Carate, ad Humiliatorum domum, prout consueverat, declinaret; ubi ad quamdam de Sororibus nomine Carasiam, quæ corporis viribus sic destituta jacebat & jacuerat annis septem, [duos contractos sanat.] quod pro qualicumque necessitate nec valuerat surgere nec valebat, a quibusdam, de ipsius suffragio confidentibus, est perductus. Ad quam veniens sic oravit; Domine, qui paralyticum sanasti & Lazarum suscitasti, obsecro, ut digneris huic etiam mulieri sanitatem concedere. Quæ protinus liberata, eodem sero de grabato consurgens, mane redeunti occurrit; quamdiu vixit, sex videlicet annis, perseverans incolumis, ad pristina officia plene restituta. Simile accidisse apud Mediolanum probatur, ubi cum quidam nomine Acerbus per annos quinque sic mansit contractus, ut per terram in sextario traheretur, ad S. Petrum adductus, & ab eo signatus, continuo sanatus surrexit. Quidam Frater, [ad martyrium anhelat.] qui solitus erat in prædicatione frequenter cum illo ire, ab eo requisivit, ut eum aliquam doceret orationem: qui dixit, Hæc est oratio mea, in qua magis afficior & delector: cum sacrosanctum Corpus Domini nostri Jesu Christi elevo, vel ab aliis Sacerdotibus elevari conspicio, ipsum oro Dominum, ut numquam me hac [vita] exire permittat, nisi pro ipsius fide catholica decedam, & hanc orationem jugiter feci. [Cum vice quadam cum Fr. Gerardo Tridentino, ante annum passionis suæ, juxta castrum de Gathe transitum faceret, socio dixit. Castrum istud pro fide destruetur, & duo hæreticorum Episcopi Nazarius & Desiderius, qui ibi sepulti sunt, igni cremabuntur: quod plene ita per ordinem postmodum factum per ministerium Inquisitorum,

ut manifeste ostenderetur, quod per ipsum Spiritus sanctus vera prædixit.

## ANNOTATA.

[Disputatio S. Petri cum hæretico.] Ibidem præsens historia sic inchoatur. Cum quadam vice disputaret cum hæretico quodam, acutissimi ingenii & eloquentiæ singularis, attendens astutias ejus voluit diu disputationem protrahere, & de communi consensu assignavit diem ad respondendum super iis, & proponendum de aliis quæ sibi viderentur. Recedens ergo ab eo misit ad Conventus vicinos, ut Fratres exercitati in disputationibus contra hæreticos venirent ad diem assignatum talem: sed omnes neglexerunt. Unde cum die assignato venisset hæreticus cum multitudine hæreticorum, & stetisset in medio, & ad modum Goliæ vocaret ad singulare disputationis certamen; venit Sanctus cum uno socio. Et cum proposuisset hæreticus errores suos acute & subtiliter, & diceret, Respondere mihi, si potestis & scitis; petivit deliberationem ad respondendum. Qua habita, divertit parumper ab eis, & intravit oratorium quod prope erat. Et prosternens se coram altari cum multis lacrymis, rogavit Dominum ut causam suam defenderet &c.

Additur ibidem: Prædicta autem omnia ipse B. Petrus duobus discretis Fratribus humiliter revelavit. Ad hoc de confundendis convertendisve hæreticis argumentum spectat, quod hisce verbis refert Garzo in Vita apud Leandrum Albertum. [alteri hæretico os obstructum.] Numquam ex prælio discessit inferior: cogebantur miseri terga dare, nec tamen a suis sententiis dimovebantur. Ex his unus, quem nullus pudor a turpitudine, nullus metus a periculo, nulla ratio a furore revocabat (erat enim summis opibus summaque potentia præditus) Nemo, inquit, unquam me a sententia deducet: constabo in ea quoad

mihi vita suppetet. Tum Petrus, in cælum suspiciens ac se paululum colligens; Quid est, inquit, causæ, vir bone, quod te in sententia permansurum affirmes? Tibi conducibilius esset, si te eum præstares, qualem Christi religio postulat. Miselle, a recta via deflexisti, ni te tui pœnituerit consilii, æternum ignis cruciatum subibis. Non longe abest Christi effigies: ad ejus genua procide, ut tua tibi crimina condonet postula: tibi veniam tribuet. Hac oratione adeo commotus est, ut ne ullum quidem verbum emittere potuerit. Hanc rem sic diversam a casibus in Vita relatis, ubinam legerit Garzo, fatemur nos ignorare.

De ordine Humiliatorum, qui seculo superiori sub S. Carolo Borromæo extinctus est, pluribus actum 26 hujus, ante Vitam B. Aldobrandescæ ejusdem Ordinis Tertiariæ.

Vehiculum vertit Surius: est autem Sextarius hic frumentariæ mensuræ genus, quale huic misero potuit fuisse pro sella. Antoninus vulgari contractione Starium scripsit.

## CAPUT V.
## Conspiratio in S. Petri necem, martyrium, gloriæ revelata, miracula ante canonizationem.

[35] Prævidens itaque propinquam fore suæ terminum passionis, acceptum mandatum summi Pontificis tanto instantius exequi cœpit, quanto de reliquo repositam sibi cernebat coronam justitiæ, in illum diem, ab judice justo reddendam. Verum videntes dolentesque hæretici, negotium fidei per Christi pugilem sic vehementius prosperari, de ipsius morte cum suis fautoribus tractare cœperunt, arbitrantes se posse pacifice vivere, si eorum tam validus persecutor de terra tolleretur. Nec latuit Sanctum tractatus occultus hostium ex certis plurium relationibus; sed ipse, veluti pugil intrepidus, nec metuebat quod dudum ardenti desiderio sitiverat, nec in

eo, quod confidenter inceperat, retardabat: sciens quod occidi poterat, sed minime vinceretur occisus. Unde Dominica in Ramis palmarum, diebus quatuordecim felix ejus martyrium præcedente, apud Mediolanum, coram copiosa multitudine a populi prædicavit, se certum fore, quod hæretici mortem suam tractaverunt, & quod pro ipso pecunia erat in deposito constituta. Sed agant, inquit, quid velint, plus quam vivus fecerim, mortuus faciam contra eos. Assignato autem quibusdam hæreticorum fautoribus usque ad octavas Paschæ peremptorio termino, quo præcise mandatis parerent Ecclesiæ, prædicens se in eodem reversurum, ad Comensem civitatem profectus est, ubi Prioris inter Fratres suos officio fungebatur.

[36] Interim dum vir sanctus apud Comum moratur, soliciti hæretici opportunitatem quærunt, quomodo eum morti tradant. Imprimis igitur Stephanus Confalonerius, ex pago Albiate, in negotio sedulus, cum Guidotto Sachella (qui ad peragendum scelus iniquum viginti quinque libras spoponderat) ad S. Eustorgium pergit, [conspiratur in ejus necem] ut quando ex Como Fr. Petrus rediturus sit, sciscitetur. De hinc ad castrum, quod Glussianum dicitur, Manfredum Clironum convenit, quę que Mediolani a complicibus sceleris acta sunt & tractata secrete insinuat, simulque ad consortium nefandi sceleris invitat. Placet summopere Manfredo consilium; unaque cum Stephano, nulla interposita mora, Mediolanum proficiscitur: ubi Guidottum Sachellam, ut promissas ab eo pecunias exigant, statim inquirunt. Quem cum non invenissent, sine mora ad Jacobum Clusam, in porta Jovis morantem, qui & ipse in perpetrando diabolico maleficio non minimam pecuniarum portionem se daturum obtulerat, propero cursu festinant. Qui facti cupidissimus, cum audisset, viginti tantum Mediolanensis monetæ libras negotio esse necessarias; Nolo, inquit, numismatis defectu tam necessarium nobis opus omitti: nam & mille libræ mihi

suppetunt, siquidem opus fuerit, unde & tantumdem Papiam deferre prorsus institui, ut Fr. Raynerium, prefatæ urbis & diœcesis Inquisitorem, pariter occidi faciam: ite ergo Glusianum, & ipse crastina die absque ullo dubio ibi adero, depositurus pretium, quod accepturus sit, qui talem tantamque operam nobis impenderit. Ergo sine dolo sequenti die Jacobus Glusianum petit festinus, depositaque pecunia apud Fatium, præfati loci incolam, cum negotium Stephano & Manfredo ita summe commendasset ut plus nihil, Papiam ipse contendit.

[37] At illi nil negligentes, ut qui rem maxime curabant, extemplo Carinum Balsamum, ad se accersitum, & verbis & præmio ad patrandum scelus invitant: quod ille minime quidem renuit, sed dari sibi auxilium Albertinum Porrum ex vico e Lentate postulat: atque hæc sanctis diebus cuncta peracta sunt. Facto autem Paschate, [Sicarii eum observaturi Comum proficiscuntur,] Stephanus & Manfredus, statuta cum Carino die, Comum una petunt, atque ad Pasinum Græcum hospitio divertunt: quos Carinus eadem die subsecutus nuntiat Albertinum, eo quod exilio damnatus esset, timuisse illo ire; sed in regione sua, quod non longe a Barlasina, qua Fr. Petro transeundum sit, Lentate distet, peragendi negotii opportunitatem præstolaturum. Interim ergo Carinus singulis diebus domum FF. Prædicatorum adibat, ut ne se inscio Mediolanum forsan sanctus vir repeteret. Ergo contracta ibi tridui mora, quarta die cum cognovisset summo mane hominem Dei carpsisse iter, ad conductores suos cito recurrens, jumentum sibi exhiberi postulat, quo celerius prosequi abeuntem prævaleat. Verum non annuit Manfredus, ne forsan per equum proderetur. Pedes igitur veloci cursu Carinus iter aggreditur, ne tanta patrandi facinoris sibi oblata opportunitate frustretur. Nec fuit illi difficile præeuntem comprehendere; quoniam ex quartana, qua diu laboraverat, debilis plurimum erat, & lento admodum procedebat gradu.

[38] Igitur sabbato, qui est Septuagesimæ finis, quodque Sabbatum in Albis & annotinum Pascha vocatur, athleta Christi de Conventu suo ad pugnam Mediolani rediens, satagebat datum terminum prævenire. Cumque medium iter caperet, qui locus est juxta Barlasinam, ad sinistrum loci latus, in nemore denso, funestus ille Carinus, hæreticus & crudelis hæreticorum satelles, eorum, ut dictum est, inductus precibus, & pretio librarum quadraginta conductus, in Sanctum virum, iter salutaris propositi prosequentem, in agnum utique lupus, ferus in mitem, in pium impius, furibundus in mansuetum, in modestum effrænis, profanus in justum, præsumit insultum, exercet conatum, mortem intenta; & de Sacerdote faciens victimam, [a quibus Mediolanum redux occiditur in via,] sacrum illius caput impetens scelerato mucrone, & satiato sanguine justi ense, geminans [ictum] diris in ipsum vulneribus impressis, non divertentem ab hoste, sed exhibentem se protinus hostiam, & occisoris sustinentem in patientia truces ictus; in loco passionis prostratum, seminecem dereliquit: & ad Fr. Dominicum, ipsius comitem, aërem miserandis vocibus adimplentem invocando auxilium, mox ille carnifex se convertens, quatuor illum lethalibus vulneribus sauciavit. [Symbolum fidei pronuntians:] Cui dum percussiones ita crudeles inculcaret, vir sanctus ex parte altera suum Domino commendat spiritum, In manus, inquiens, tuas Domine commendo spiritum meum. A fidei præconio etiam in hoc articulo non desistens, Symbolum fidei, quod propter blanditias patrui puer deserere noluerat, propter mortis angustias, velut præco fidei, nequaquam oblitus est confiteri; prout ipse nefandus, fugæ fraudatus præsidio, postmodum a fidelibus captus, ad clamores Fr. Dominici excitatis, & Fr. Dominicus, diebus aliquibus supervivens, postea retulerunt. Sed dum adhuc Martyr Domini palpitaret, cultellum crudelis lictor arripuit, & per latera confitentis transfigens, Beatum ejus martyrium consummavit.

[39] Sic itaque finita hujus peregrinationis Septuagesima, felix viator celestem venit ad patriam: sic stolam suam Martyr & Virgo dealbavit in Albis: sic ad æternum sabbatum ex sabbato temporali migravit. Pascha enim annotinum suo agno non caruit, quandoquidem in eo tamquam agnus innocens immolatur. In ipsa die sui martyrii Confessor, Propheta, Martyr & Doctor quodam modo esse promeruit: dum enim ipsa die, confessione de more solito facta, sacrificium laudis obtulit; & fidem Christi inter tormenta constanter confessus, veram fidem edocuit, clara voce cum pateretur symbolum fidei profitendo & pro defensione fidei sanguinem suum fudit; Confessorum, Doctorum & Martyrum se numero sociavit; Prophetarum vero meruit adjungi consortio, spiritu prophetico prædicēs quod contigit. Cum enim tunc temporis, ut dictum est, quartanam pateretur; dicentibus sociis, quod non posset illa die Mediolanum applicare respondit: Si ad domum Fratrum pervenire non poterimus, apud S. Simplicianum poterimus hospitari, quod & factum fuit. [corpus ad S. Simpliciani sistitur,] Nam cum ejus sacrum corpus Mediolanum in plaustro Fratribus deferretur, lictore capto & vincto subsequente; fama tanti facinoris volans, velocius Mediolanum perveniens, urbem totam subvertit populorum tumultibus & concursu: cum Prætor Mediolanensis, metu novæ turbationis attonitus, clausis januis civitatis impedire non potuit, quin tanta foret plebis concurrentis impressio, quod Archiepiscopus etiam cum suo Clero & Religiosis quam plurimis, S. Martyri processionaliter occurrentes, vix ad corpus pertingere potuerunt. Propter quod Fratres eadem die ad domum illud deducere non potuerunt, sed apud S. Simplicianum depositum, ibidem assistentibus Fratribus illa nocte remansit.

[40] [cujus contactu ægrota sanatur.] Eodem die passionis & mortis, mulier quædam infirma, nomine Jacoba, ad corpus Sancti accedere avida, sed per longum temporis

spatium ex pressura confluentis populi non permissa, ut suæ infirmitatis reciperet auxilium, quod a medicis destituta nequiverat obtinere; tandem vix in ecclesiam S. Simpliciani, ubi Martyris corpus jacebat, introducta; super caput suum, de quo propter morbum fistulæ jam ossa plura perdiderat, manu Martyris faciens sibi fieri Crucis signaculum, plenum sanitatis beneficium adipisci promeruit. [parallelum mortis S. Petri & Christi] Illud quoque hoc in loco prætermittendum non est, quod martyrium hujus Sancti solennius efficit, & inter aliorum martyria indicat gloriosum: nam ejus passio veneranda passionis Christi propinquam præfert imaginem. Nempe Christus pro veritate fidei, quam docebat, passus est; Petrus pro veritate fidei, quam defendebat, bibit calicem passionis. Christus passus ab infideli populo Judæorum; Petrus ab infideli turba hæreticorum. Christus in paschali tempore crucifigitur, & eodem tempore Petrus occiditur. Christus cum pateretur, In manus tuas Domine commendo spiritum meum, dicebat; Petrus eadem verba cum occideretur docebat. Christus pro triginta argenteis ut crucifigeretur traditus fuit, Petrus pro quadraginta libris venditus fuit ut occideretur. Christus per passionem multos ad fidem adduxit, Petrus per mortem multos hæreticorum convertit. [nec non fructus ex passione secuti.] Quamvis autem pugil egregius dogma pestiferum plurimum eradicasset in vita, post mortem tamen, ejus intercedentibus meritis & crebris miraculis coruscantibus, fuit adeo extirpatum, ut quam plurimi errorem suum relinquerent, & ad sanctæ gremium Ecclesiæ convolarent: ita ut Mediolanensis civitas & ejusdem comitatus, ubi tot hæreticorum conventicula residebant, adeo sit purgata, ut expulsis aliis, aliisque ad fidem conversis, nullus auderet ibidem aliquatenus apparere. Plures etiam ex his, hæresiarchæ pessimi & famosi, Ordinem Prædicatorum ingressi, hæreticos & fautores eorum mirabili fervore persecuti sunt. Sic Sampson plures Philisthæos occidit moriens, quam vivens occiderat: sic

granum frumenti cadens in terra, infidelium manibus mortificatum, uberem consurgit in spicam: sic botrus, in torculari compressus, liquoris redundat in copiam: sic aromata pilo contusa, odorem plenius circumfundunt: sic granum sinapis attritum, virtutem suam fortius demonstravit.

[41] Eodem die, in monasterio de Ripolis juxta Florentiam posito, [quædam cælo eum receptum spectans] dum quædam sanctimonialis in oratione persisteret, aliquantulum soporata, vidit B. Virginem in excelso throno in gloria residentem, & duos Fratres Prædicatores in cælum ascendere, hinc & inde juxta eam collocatos esse. Et cum mirans quæreret, quinam essent; vocem sibi respondentē audivit, Hic est Fr. Petrus Veronensis, qui in conspectu Domini tamquam fumus aromatum gloriosus ascendit. Quod a significatione non vacat, quod Fr. Dominicus, qui cum eo cælos ascendere visus est, non tamen cum eo auditus est nominari. Nam qui secum passus est, cælum creditur secum ascendisse non tamen secum Sanctorum catalogo adscriptus. Dicta igitur Soror fama postmodum docente cognoscens, quod una eademque die cum Sancti martyrio [sua visio] concurrebat; [ab inveterato morbo liberatur:] statim sumpta fiducia se Martyri devovit, & devotis meruit precibus a quadam antiqua infirmitate subito relevari, sicque revelationis veritas concordia temporis & adeptione miraculosa sanitatis, tamquam argumento duplici, comprobata est.

[42] [lampades ad sepulcrum ejus ultro accenduntur:] Ut autem fidelium tristitia, ex subtractione tanti propugnatoris exorta, novæ lucis ortu plenum verteretur in gaudium; lampades, ad venerabile sepulcrum ejus in ecclesia S. Eustorgii dependentes, pluries per seipsas, absque humano studio & ministerio, divinitus sunt accensæ. Quia conveniens nimis fuit, ut qui igne ac

lumine fidei excellenter claruerat, singulare de ipso ignis & luminis miraculum appareret. Super locum etiam passionis ejus, sæpe luminaria de cælo descendentia & ascendentia ad cælum, plures Religiosi aliique quamplures visibiliter conspexerunt: inter quæ luminaria duos fratres, in habitu Prædicatorum, se vidisse testati suum. Sic namque sanctitati Martyris congruebat, ut frequens lux de cælo descendens, nunc lampades, nunc pro lampadibus aërem inflammans, evidentius appareret, & ubi sacrum corpus conditum est, & ubi sanguis innocens effusus est. Et sicut utrobique lumen multoties exortum est, sic utrobique multa divina miracula claruerunt.

[42] [Invocatus Petrus collisum puerum vitæ restituit:] Ceterum post Sancti gloriosum triumphum, cæli rosario dudum clauso, per S. Petri martyrium reserato, cælestia miracula crebrius refulserunt, quibus Dominus sanctum suum Martyrem illustravit. Terra enim suo cruore roseo madidata uberiores fructus protulit, quos cælo cum lætitia intulit, præconis fidei & martyris Christi suffulta suffragiis: quæ in diversis mundi partibus pluribusque provinciis, per signorum evidentiam, non desinunt rutilare. Quidam puer Papiensis, Conradinus nomine, cum inter trabes acutas graviter corruisset impulsus, & ex casu fuisset gravissime sic oppressus, ut motu & sensu penitus destitutus, tamquam mortuus a matre plangeretur; mox apposita terra suo pectori, ejusdem Martyris cruore consecrata, sic vivus & incolumis resurrexit, quod jam matrem reddens jucundam, gaudens abiret protinus cum sociis suis ad ludendum. Mulierem quandam, Sabinam nomine, de Lugano Comensis diœcesis, [febrim] a medicis ex acumine febris desperatam, terra solummodo, super qua Martyr interfectus est, liberavit; & faciei febricitantis aspersa, ipsam perfectæ restituit sanitati. Sed nec illud minus evidens fuit, quod gestum est in quadam muliere Mediolanensis diœcesis, cujus carnes cancer edax annis pluribus sedula corrosione vorabat: quæ cum ad locum

fuisset delata martyrii, vulnera sua confricans terra sanguine Martyris rubricata, [cancrum,] non solum tunc novo dolore caruit, quem ibi pannorum tactu sustinere antea non poterat, quin potius ab antiquo velocem & integram sanitatem consecuta est; virtute innocentis sanguinis; qui quidem non solum ægros liberabat a morbis, sed etiam a portis mortis morituros.

[44] Quamdam viduam, nomine Miranam, in parochia SS. Gervasii & Protasii Mediolani morantem, super Leoneto filio suo virtuosus sanguis Martyris lætificavit. [arthritim] Cum enim puer quadam gutta tam graviter fuisset afflictus, quod dorsi ejus nodi viderentur præ tumore & doloribus dissolvendi, propter quod futurus gibbosus a medicis credebatur; mater doloris locum terra Martyris cruore perfusa sinivit; & filio protinus liberato extra domum exiliens, vicinas convocat & amicas, ut sibi super salute filii congratularentur. Scholaris quidam cum de Magdalena ad montem Pessulanum rediret, ex quodam saltu adeo in inguine ruptus est, ut dolore nimio vexaretur & incedere non valeret. Hic aliquando audiens prædicari, quod quædam mulier terram sanguine S. Petri Mart. respersam super cancri corrosione ponens liberata fuerat; dixit: [& Herniani depellit.] Domine Deus, de terra illa non habeo, sed qui terræ illi meritis S. Petri Mart. tantam dedisti virtutem, & isti dare digneris: Accipiens igitur de terra, cum crucis signo & S. Petri invocatione, loco supposuit, & statim sanatus est.

## ANNOTATA.

Sequentes duo Paragraphi, a Taëgio ad veterem Vitam adjecti, fere habentur in Commentario prævio ex Tristano Chalco, qui habuit ex Actis judiciariis, quæ ipsa etiam Taëgius vidisse potuit.

Additur ibidem, Qui infra mensem occisus est ab eis: & verificatum est verbum suum, & quotidie magis ac magis verificatur.

Annotinum dici videtur quasi consummatum & absolutum, aliis Pascha conclusum. Mirum est tamen illius appellationis, quæ hic ut vulgaris notatur, alibi non inveniri mentionem. Durandus in Rationali divinorum Officiorum Annotinum Pascha vocari dicit, quando aliquis diem baptismatis sui annuatim celebrat. Beda in computi ratione dicit quod computus, in primo circuli decemnovennalis anno, propter rationem saltus lunaris, duodecim diebus annotinum cursum prævertere solet. ubi rursum annotinus pro perfecto sumi videtur. Quomodo idem Sabbatum dicatur finis Septuagesimæ, ex Ordinario Romano explicari potest, ubi dicitur: Dominica in septuagesima videtur dici, propter septuaginta dies, qui sunt ab ipsa die ad sabbatum ante octavam Paschæ: & ibidem consequenter dicitur; Sexagesimam, per respectum ad medium Pascha seu feriam 4 Paschalem; Quinquagesimam, ad diem sanctæ Resurrectionis; Quadragesimam, ad Cœnam Domini respective nominari.

S. Simplicianus Ep. Mediolan. colitur 16 Augusti, cujus corpus in ecclesia suburbana conditum, ipsi adjunctæque Abbatiæ nomen dedit.

Apud Surium hæc adduntur: quorum etsi nonnulla summus Pontifex suis litteris strictius comprehenderit; [Miracula apud Surium deficientia,] & nos tamen quoad possumus miraculorum ordinem consequenter, ad lectorum & auditorum utilitatem latius distribuimus; alia quædam adjicientes, quæ postea fidelium hominum testimoniis verissime sunt approbata: ubi tamen hoc præmissum volumus, plura esse edita miracula quam sint in scripta redacta, multa etiam prolixitatis vitandæ causa prætermissa: pauca autem quæ tacere noluimus jam

commemoramus. Hæc esse verba Thomæ de Lentino credimus, proponentis notabilem partem miraculorum ante Canonizationem factorum & post ea comprobatorum, subtexere interim nihil simile invenimus in Surio, sed solum tria jam superius num. 40, 41 & 42 relata: unde conficimus Ms. Surii magna sui parte mutilum, fuisse, an autem Ms. Florentinum circa finem magis integrum sit non est a nobis observatum. Igitur quæ sequuntur deinceps omnia ex Taegio solo habere nos scias.

Huc spectat quod S. Antoninus narrat his verbis: Cum quædam Comitissa, [miraculum candelæ divinitus accensæ.] devotionem specialem habens ad S. Petrum Mart. in vigilia festi ejus jejunasset, & in die candelam notabilem, ad ecclesiam pergens, ante altare ad honorem S. Petri Mart. accensam posuisset, ut tota consumeretur; recedente Domina, Sacerdos ecclesiæ, avaritia ductus, illam extinxit. Sed statim divina virtus reaccendit. Extinguit Sacerdos secundo & tertio candelam: sed iterum atque iterum divinitus accenditur. Quod cum idem faceret Sacerdos de alia candela, quam Clericus accenderat ante majus altare, in honorem ejusdem S. Petri Mart. vigiliam cujus jejunaverat; lumen rediit ad candelam etiam ipsam extinctam. Tum Clericus iratus Sacerdoti inquit: Diabole, non vides tu miraculum, quia S. Petrus vult quod candela sua ardeat? Territi igitur ex miraculo aliis gesta intimarunt, Hæc ille: idem iisdem fere verbis narrat Flaminius, & locum nominat Cassinum castellum quod in Hipponensi diœcesi est: ubi pro Hipponensi, quæ est in Africa, S. Augustini Episcopatu nobilitata olim, intellige Eporediensem in Pedemontio, quod ævo illo, Hipporedia scribebatur, vulgo Yvrea.

Additur ibidem, Et cum sociis pergens ad altare B. Petri, gratias agens, omnia Fratribus retulit præstito juramento.

# CAPUT VI.
# S. Petri Martyris Canonizatio.

[45] Crebrescentibus itaque per totam Italiam per merita B. Petri Martyris evidentibus miraculis ad Apostolicamque sedem delatis, [Canonizatur ab Innocentio IV] summus Pontifex Innocentius IV per plures fide dignos intellectis, exaltationi fidei novique Martyris congaudens præconiis, honori quoque Apostolicæ Sedis congratulans, cujus Inquisitorem ac pugilem sic mirificare Dominus dignanter adjecerat, virginalem ejus innocentiam fecit diligenter discuti, & suorum copiam meritorum solerter inquiri: miraculorum quoque gloriam diligenter examinari, præcedentem & subsequentem suæ triumphalem titulum passionis. Et quia manifeste cognovit super excrescentiam veritatis ad famam, cum sibi minora quam reperit, insinuata fuissent; de communi consilio Cardinalium & Prælatorum omnium, qui tunc apud Sedem Apostolicam residebant, IX a Kal. Aprilis anno Domini MCCLIII, nondum completo anno primo post martyrium ipsum, apud Perusium, in platea ecclesiæ FF. Predicatorum, adstante sibi cleri populique ac religiosorum, nobilium ac magnatum numerosa frequentia, aliis ubertim flentibus præ lætitia, aliis pluribus laudantibus & [Sanctum] in sublime tollentibus cunctis vero tripudiantibus & agentibus diem festum, cum solennitate non modica & mirabili cereorum ardentium multitudine, & eximio sacrarum vestium apparatu, sanctorum Martyrum catalogo statuit adscribendum. Et quoniam dies passionis ejus fuit VIII Idus Aprilis, quæ inter paschalia festa frequenter occurrit, ipsius festum ordinavit III kalend. Maji a totius orbis fidelibus devote & solenniter celebrari, sicut expressius apparet in Apostolicis litteris, universis ecclesiarum Prælatis directis, quæ sunt infrascripti tenoris.

[46] Innocentius Episcopus servus servorum Dei, Venerabilibus universis Archiepiscopis & Episcopis, ac dilectis Abbatibus, Prioribus, Archipresbyteris, Decanis, Archidiaconis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem & Apostolicam benedictionem. Magnis & crebris declarata prodigiis Christianæ fidei rectitudo, jam novo novi Sancti decorata merito, signorum recentium fulgore coruscat; in multis hactenus roborata portentis nunc singularium miraculorum insigniis confirmatur. [lætitiam Ecclesiæ de Martyrio.] Ecce de instanti & moderno fidei pugile nova & grandia prodeunt, & triumphalia signa notescunt: vox fusi sanguinis intonat, & inclyti Martyrii tuba clangit. Terra non silet sudans aspersione cruoris; resonat regio nobili prædita bellatore, ipseque parricida gladius proclamat. Hæc sunt certa fidei sacræ indicia, hæc ipsius idonea testimonia, hæc ipsius idonea monumenta; propter quod lætati sunt cæli, terra ingenti perceptione gaudii pariter exultavit. Grandis matri Ecclesiæ causa lætitiæ, multa ei materia jucunditatis advenit; habet unde Domino canticum novum cantet, unde immensæ laudis hymnum deferat Deo: habet plebs Catholica, unde plaudat; & levatis Altissimo manibus, sonoris jubilet vocibus, & lætis animis jucundetur: habet Christiana concio, unde devotas Conditori concinat cantiones. De horto siquidem fidei nuper in mensam Regis æterni dulcis allatus est fructus: de vinea Ecclesiæ in regium calicem affluens noviter liquor influxit; quoniam fœcundus palmes hostili mucrone concisus, habuit plus humoris, quia cohæsit pressius vivæ viti.

[47] De Prædicatorum Ordine florido prodiit rosa rubens, quæ regalibus oblata conspectibus intulit suavitatem odoris: de hujus Ecclesiæ fabrica electus est lapis, qui pressura & tunsione politus, decenter supernis ædibus est insertus. In cælesti quoque rosario flos amœnus, rubro colore rutilans, nunc est natus in mundo; [& gloria S. Petri]

& candido Sanctorum collegio novum munditiæ lilium est exortum, unde factum est magnum in cælo gaudium, exultantibus Sanctis omnibus & solennitatem agentibus. Tanti festi sane [causa] S. Petrus, de Ordine Prædicatorum, Lombardus origine, prudenter attendens, dolosi mundi fallacias fugit, & devia seculi defluentis, cujus blanditiis quis læditur cum lenitur. Cum ab iis in adolescentiæ annis provide declinasset, vitæ semitam eligens tutiorem, ut a lubricis, caute pede retracto firmis posset incedere gressibus, ad divina obsequia se totaliter transtulit; in Euangelicæ institutionis observantiam cuncta sua convertens studia, & universas dirigens actiones, rectum & lucidum callem sequens, ipsius salubrem videlicet Ordinis regulam, per quam regi valeret & dirigi, duci & induci ad speratam requiem post laborem. In qua triginta fere annorum spatio, fultus caterva virtutum, fide præambula, comite caritate, sic prævaluit & profecit, circa ipsius maxime defensionem fidei, pro qua totus ardebat; quod contra illius diros hostes mente intrepida ferventi spiritu certamen exercens, suum tamen agonem diutinum victrici superante martyrio feliciter consummavit: & sic ipse Petrus firmus, in petra demum passionis allisus, ad petram Christum digne laureandus ascendit.

[48] Porro ne sacra nos suorum actuum exempla prætereant, aliqua de vita ejus ad instructionem & profectum audientium referamus. Ipse namque veritatis filius & bonitatis alumnus, conversatione conspicuus, spectabilis fama, & opinione mirabilis, miro præfulsisse nitore munditiæ, virginitatem integre custodisse, nec mentis habuisse nec corporis corruptelam & nullius mortalis criminis sensisse contactum, [qui perpetua vitæ innocentia,] firma suorum Confessorum assertione monstratur. Et quia servus delicate nutritus protervit in Dominum, carnem suam assidua cibi & potus parcitate restrinxit. Ne vero per otii desidiam hostilibus pateret

insidiis, in justificationibus Domini exercebatur assidue; ut eo circa licita totaliter occupato, locum in ipso illicita non haberent, & a spiritualibus nequitiis tutus esset. Nocturna quidem silentia, humanæ deputata quieti, post dormitionem brevem, decurrebat in studiis lectionum, [zelo animarum] & somnit tempus vigiliis occupabat; diem autem impendebat commodis animarum, vel sedulis imminendo prædicationibus, vel Confessionum audientiæ insistendo, aut hæreticum dogma pestiferum validis rationibus confutando, in quibus speciali gratiæ dono noscitur claruisse. Devotione insuper gratus, humilitate lenis, [aliisque virtutibus insignis,] obedientia placidus, benignitate suavis, pietate compatiens, patientia constans, caritate præstabilis, & in cunctis morum sanctitate compositus, alios profusis virtutum aromatibus attrahebat. Fervens quoque amator fidei, cultor præcipuus, propugnator ardentissimus, sic animo suo illam impresserat, sic se totum in illius manciparat obsequium, quod quæque ipsius verba & opera virtutem fidei redolebant; cujus dulcedinem lingua ejus, velut redundans favus copiose distillans, semper illius documenta suavia propinabat.

[49] Pro hac, inquam, mortem subire cupiens, hoc principaliter a Domino attentis & crebris supplicationibus postulasse probatur, quod non sineret eum ex hac luce migrare, nisi sumpto pro illo calice passionis. Unde quia meruit tantus athleta specialem palmam de pugna tam strenua reportare in cœlibem patriam, sertis præsignitus roseis victoriæ; [palmam martyrii adeptus,] cum de civitate Comensi, ubi Fratrum sui Ordinis ibi commorantium Prior erat, Mediolanum pergeret, pro exequenda Inquisitione adversus hæreticos sibi ab Apostolica sede commissa; sicut in publica prædicatione prædixerat, quidam de ipsorum hæreticorum credentibus, prece illorum inductus & pretio, in eum, iter salutaris propositi prosequentem, funestus insiluit; in agnum utique

lupus, ferus in mitem, in pium impius, furibundus in mansuetum, in modestum effrænis, profanus in Sanctum, sacrilegum præsumit insultum, exercet conatum, mortem intentat. Sacrum autem illius caput gladio crudeliter impetens, diris in ipsum impressis vulneribus, & satiato sanguine justi ense, venerandum illum, non divertentem ab hoste, sed exhibentem se protinus hostiam, cæsoris sustinentem in patientia truces ictus, dimisit, spiritu petente superna, in ipso loco passionis occisum. Ipso sacrilego percussuras in Christi ministrum geminas inculcante, ille non querula voce murmurans, sed sufferens omnia patienter, suum Domino spiritum commendabat, dicens, In manus tuas Domine commendo spiritum meum. Symbolum etiam incepit dicere fidei, cujus nec in hoc articulo desiit esse præco: pro ut ipse nefandus, qui a fidelibus captus fuit, & quondam F. Dominicus, qui comes illius erat, & ab ipso lictore percussus diebus aliquibus supervixit, postea retulerunt. Sic granum frumenti cadens in terram, infidelium manibus compressum & mortuum, uberem consurgit in spicam: sic botrus in torculari calcatus, [cælo recipitur.] liquoris redundat in copiam: sic triticum attritum in area, in dominicum horreum excussa palea deportatur; sic aromata pilo contusa, odorem plenius circumfundunt: sic, inquam, regnum cælorum a violentis præripitur: sic per fidem a Sanctis regna sublimia devincuntur. O quam insigne Martyrium, quod titulus tam gloriosus illustrat! Pro defensione namque & exaltatione Catholicæ Romanæ Ecclesiæ vir ille venerabilis acerrimam mortem tulit. Hic in Ecclesia tamquam sidus radians, & lumine fidei & gratia prædicationis emicuit: hic jam in cælo, quasi luminare conspicuum & splendore gloriæ & multorum coruscatione signorum effulget; quia non vult Dominus ipsius abscondere sanctitatem, nec meritorum suorum virtutem supprimere in occulto, sed inter lucentia Sanctorum candelabra manifestius exaltare, ut omnibus, qui in Ecclesiæ domo habitant, proferat clarum lumen.

[50] [in vita] Nam nec in vita latere sic potuit, quin miraculorum claritate pateret. Cujusdam etenim Nobilis filium, præ nimio & horribili totius gulæ tumore nec loqui nec respirare valentem, levatis ad Deum manibus & Crucis in eum facto signaculo, illoque accipiente ipsius cappam & infirmo superponente loco, sanavit. Idem quoque Nobilis, vehementi postmodum corporis torsione gravatus, credens & metuens exinde sibi mortis imminere discrimen, cappam ipsam, quam conservaverat, reverenter tunc fecit afferri: qua suo apposita pectori, mox vermem quemdam, duo habentem capita & pilorum densitate villosum, evomuit, plena liberatione secuta. Cuidam etiam juveni muto, immisso digito in os ejus, suæque linguæ soluto ligamine, beneficium loquelæ concessit. Hæc & alia plura dum viveret, dignatus est per eumdem Dominus operari. [& post mortem miraculis clarus,] Post mortem vero lampades, ad sepulchrum ejus venerabile dependentes, pluries per seipsas, absque omni humano studio & ministerio, divinitus sunt accensæ; quia conveniens nimis erat, ut qui igne ac lumine fidei excellenter claruerat, singulare de ipso ignis ac luminis miraculum appareret. Quidam autem dum cum aliis & illius sanctitatem & miracula depravaret; sumpto quodam sub hac obtestatione morsello, quod eum non posset, si circa hæc delinqueret, transglutire; sensit mox ipsum suo gutturi sic inhærentem, ut illum educere vel intromittere non valeret. [præcipue sanationibus ægrorum] Quare ille pœnitens, vultus jam mutato colore, quasi sentiens jam vicinæ mortis eventum, facto intra se voto, quod linguam de cetero ad talia non laxaret, fuit protinus illo evomito liberatus. Hydropica quædam ad locum passionis ipsius, auxilio viri, perveniens, fusa ibi oratione sanitatem integram mox recepit. Obsessas a dæmonibus longo tempore mulieres Martyr ipse, ejectis illis cum multo vomitu sanguinis de corporibus, liberavit. Febres expulit, languores curavit plurimos & diversos. Cujusdam sinistræ manus digitum, ex morbo fistulæ plurium foraminum

concavitate defossum, mira consolidatione sanavit. [& resuscitatione mortuorum,] Quidam præterea puer, ex casu gravissimo sic oppressus, ut motu & sensu penitus destitutus tamquam mortuus defleretur; mox apposita pectori ejus terra, sacro ejusdem Martyris cruore contacta, incolumis resurrexit. Quædam, cujus carnem cancer edax sedula corrosione vorabat, linitis hujusmodi terra vulneribus est curata. Alii etiam diversis infirmitatibus occupati, qui sepulchrum ejus in vehiculis & aliis sustentaculis adierunt, exinde postmodum plena sanitate recepta, sine aliquibus subsidiis rediere. Ad hæc magna hæreticorum & ipsorum credentium multitudo, cum tantam fidei adverterent efficaciam, & ad eam tot certis & apertis signorum indiciis, tamquam clamantibus quibusdam præconibus, vocarentur, nec possent quasi tam validæ illorum instantiæ non parere; ad ipsius lucem fidei de sui erroris nubilo est conversa. Quid plura? his, inquam, & multis aliis miraculis gloriosis magnificavit Dominus Sanctum suum, & colendum exhibuit universis.

[51] [cum exultatione Ecclesiæ] Lætetur itaque totus fidelium cœtus, & laudum carmina Deo concinat alta voce, quod a suis, tamquam Christi cohæredibus, mansiones cælicæ possidentur. Exultet mater Ecclesia, quod palmes suus, quem in agro fidei plantavit & coluit, ad cæleste plantarium est translatus. Gaudeat & insignis Fratrum Prædicatorum Ordo, quod pro eo prosiluit stella micans, cujus fulgentes radii in lumen hic peregrinantium diffunduntur. Erubescant fallaces hæretici, euangelicæque falsarii veritatis, quod sua mendacia commenta vilescunt, & convalescunt Catholica & Apostolica documenta. Obmutescant dolosa ipsorum labia, & impudentes frontes decidant jam confusæ; cum ille, cujus veraces instructiones & salutaria monita renuebant, cuique mortis intulere supplicium, in cælo jam regnet inter agmina Beatorum. Et mirum, cum aperte conspiciant Dei Ecclesiam talibus fulciri columnis, talibus

parietibus circumcingi, talibus consurgere incrementis, talibus propugnaculis communiri, talibus defensari patronis, talibus miraculis illustrari; quod nihilominus in noctis tenebris & mortis caligine gradiuntur, quodque a suis oculis squammas non abjiciunt cæcitatis, ut verum lumen videant & sequantur.

[52] [catalogo sanctorum adscribitur.] Ceterum quia convenit, ut quem Dominus in cælo magnificavit, mundus colat, nos de sanctitate vitæ ac veritate miraculorum ipsius Martyris inquiri fecimus diligenter, & quia post Inquisitionem solertem, studiosam examinationem, & discussionem solennem, plura etiam & majora de ipso comperimus, quam insinuata fuissent; eum de communi Fratrum nostrorum & Prælatorum omnium apud Sedem Apostolicam existentium consilio & assensu, confisi omnipotentis Dei virtute, auctoritate quoque Petri & Pauli Apostolorum ejus ac nostra, Sanctorum Martyrum catalogo duximus adscribendum. Ideoque universitatem vestram monemus & hortamur attente, per Apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes, quatenus III Calendas Maji festum ejusdem devote ac solenniter celebretis, & faciatis a vestris subditis veneratione congrua celebrari, ut pia ejus intercessione & hic a noxiis protegi, & in futuro sempiterna gaudia consequi valeatis. Et ut ad venerabile ipsius sepulcrum ardentius & affluentius Christiani populi confluat multitudo, ac celebrius ejusdem Martyris colatur festivitas, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui cum reverentia illuc in eodem festo annuatim accesserint ipsius suffragia petituri, de omnipotentis Dei misericordia & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, unum & quadraginta dies; accedentibus vero annis singulis ad prædictum sepulcrum infra ejusdem festi quindenam, XL dies de injuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus. Datum Perusii IX Calend. April. Pontificatus nostri anno X.

## CAPUT VII.
## Festum de S. Petro & officium canonicum ab Innocentio IV præscriptum, corpus elevatum.

[53] [Innocentius 4] Verum cum plures tanti Martyris solennitatem celebrare negligerent, aliique contemnerent; summus Pontifex Innocentius IV, hoc moleste ferens, per suas litteras universis Ecclesiarum ac Religiosorum Prælatis directas, præcipiendo mandavit, quatenus festum præfati Martyris, quod Romana celebriter agit Ecclesia, cum devotione & solennitate omnimoda celebrarent; facerentque a suis subditis veneratione congrua celebrari. Matutinale vero Officium cum novem Lectionibus, & diem festi sui, in Kalendariis scribi facerent, cum expressione Ordinis Prædicatorum. (Has siquidem litteras præfati Innocentii successor Alexander IV per omnia a innovavit) quarum talis est tenor:

[54] Innocentius Episcopus servus servorum Dei &c. Vt supra venerabilibus Fratribus. Magna magnalia de S. Petro Martyre, Ordinis Prædicatorum, natione Lombardo, per oras ubilibet innotuere Italiæ, & jam usque ad longinqua terrarum per universalem notitiam effulsere: qui dum in carne viveret, a carnis illecebris & deliciis alienus sic virtuose pro fide Christiana certavit, quod stabili animo susceptum prosecutus agonem, gloriosum tandem de ipsius fidei hostibus reportavit Martyrio prævalente triumphum. Hujus, inquam, triumphi fama in omnem quasi fidelium terram exiliit, & ad extrema fere orbis illius signa lucida radiarunt. Fulget jam inter clara Sanctorum agmina recens Martyr, [variis encomiis S. Petrum exornat:] & in firmamento Ecclesiæ novum jam rutilat luminare. O mira Martyris victoria, in quo dum caro conteritur, spes roboratur; dum creatura videtur deficere, fortius convalescit; in quo tunc magnus Christi miles prævalet, cum acrius comprimitur; quia revera tunc

gloriosius hostem vincit, cum inter passiones atroces constantius mortem suffert. O quam admiranda Catholicæ fidei per certamina Martyrum defensio provenit! Nam in illorum oppressione ac cæde robur ipsa suscipit & vigorem: quia nequaquam ei demitur, cum sui sibi pugiles taliter adimuntur: quinimo tunc status ejus erigitur potius & firmatur, quoniam illi sic moriendo non desunt, sed amplius quam ante vivunt & adsunt ad Dei munimentum; & tunc clarius fidei lampas lucet, cum ardentes lucernæ Martyrum incendiis suppliciorum corporaliter extinguuntur. Quod plane ac liquido patuit in ipsius S. Petri Martyris passione: quia post gloriosum & recolendum ejus martyrium, sic suorum multitudine miraculorum fides resplenduit, quod quamplurimi hæretici eorumque credentes, ipsius fidei tot & tantorum ostensione signorum agnita veritate, ad illius lumen de suorum errorum tenebris propere redirent. O quam laudandus & honorandus Athleta, qui hostiles non pavescens occursus, pro lege Dei sui perseveranter in stadio, usque ad mortem, invicta stabilitate pugnavit! O venerandum virum, & ubique sonoris præconiis decorandum! hic enim religionis norma, munditiæ nitor, morum decus, thesaurus scientiæ, prædicationis fulgor, caritatis ardor, fidei paries, cumulus gratiarum, virtutum speculum, & fragrantis sanctitatis aroma; hic timor hæreticorum & tremor, vivus expugnavit eorum perfidiam; & jam ab ipsis occisus, illos deterret vehementius & confundit hoc cæli sidus fulgidum, dignus cælestis regni cohæres, illustris concivis Martyrum, inclytus mensæ supernæ conviva, & securus patriæ supernæ possessor.

[55] Merito itaque reverendi Martyris plebs Catholica recensere debet memoriam, & tota Christiana Ecclesia ejus festum solenniter celebrare; ne tantum Dei donum recepisse in vacuum videatur, & non recognoscere immensam, quam in hoc ei largitus est, gratiam, magnificando ipsam tam eximio Martyre ac tanti patroni

suffragio muniendo. Et certe cum ipsius consortio universi Beatorum chori assidue exultent, inconveniens ac reprehensibile nimis esset, si Christi fideles solennitatem ejus non susciperent & agerent reverenter: quem enim Dominus magnificavit in terris & sublimavit in cœlis, debemus & nos & crebris attollere laudibus & festivitate celebri honorare; ut de illius magnificentia & gloria communem gerentes lætitiam, & voto & voce ac opere quasi quodam pariter psallentes tripudio, gaudeamus in hoc cum Sanctorum collegiis, & digne illius patrocinium mereamur. Quapropter nolentes penitus, ut prædicti S. Petri Martyris solennitas aliqualiter negligatur, quem pridem sanctorum Martyrum catalogo de commun. Fratrum nostrorum & Prælatorum omnium tunc apud Sedem Apostolicam existentium consilio & assensu duximus ingenti gaudio adscribendum, [festum eius omnibus Fidelibus præscribit] sicut per alias litteras nostras plenius notificavimus ad diversas provincias destinatas; Universitati vestræ per Apostolica scripta stricte præcipiendo mandamus, quatenus considerantes attente, quod in tanti claritate Martyrii altis titulis fides orthodoxa refulsit, & hæreticorum dogma funestum ad confusionis & ignominiæ ima ruit, ejusdem Martyris festum, quod celebriter agit Romana Ecclesia, quod etiam principaliter & studiose, propter insigne illius martyrium, ab omnibus Catholicis generaliter agi volumus, cum devotione ac solennitate omnimoda celebretis, & faciatis a vestris subditis congrua devotione celebrari, [cum officio 9 lectionum] Matutinale Officium de ipso Martyre omnino cum novem lectionibus, & alia nihilominus Officia solenniter, prout convenit, exequentes. Illi vero, qui non consueverunt paschali tempore, quo ipsius Martyris solennitas agitur, festum aliquod cum novem lectionibus celebrare; juxta mores & modum suum solitum, de Martyre ipso agant. Et ne de ipsius festivitate intervenire unquam possit oblivio, sub simili districtione injungimus, ut diem festi sui, qui videlicet occurrit tertio Calendas

Maji, in Calendariis vestris scribendo, ibi ejusdem Sancti nomen, cum specificatione Ordinis Prædicatorum, solicite designetis. Sic autem præmissa omnia efficaciter exequi studeatis, quod ipsum pretiosum Martyrem apud Deum habere possitis sedulum adjutorem. Datum Anagniæ, VI jdus Augusti, Pontificatus nostri anno XII.

[56] Canonizato itaque S. Petro Martyre, multis eum miraculis Dominus dignatus est illustrare. Nam quam plures diversis infirmitatum incommodis laborantes, ad ejus venerabile sepulcrum accedentes, sanitatis remedia S. Petri Martyris meritis sunt consecuti. [corpus elevatur,] Quapropter fidelium duxit devotio sacrum ipsius Martyris corpus, quod ultra annum sub terra humili loco jacuerat, ad altiorem locum transferre. (Propter quod Fratres ad Capitulum provinciale Mediolanum convenerunt: non enim eodem anno generale Capitulum est celebratum, propter Magistri Ordinis videlicet Fr. Joannis Teutonici decessum, qui post S. Michaelis festum obiit, in quo secundum Ordinis Constitutiones celebrari non debet) levatum est sacrum corpus: quod ita sanum & integrum repertum est, acsi in eadem die sepultum fuisset. Fratres autem præsente D. Mediolanensi Archiepiscopo Fr. Leone de Perego, Mediolanensi Patricio, Ordinis Minorum, viro integerrimo & omnia ordinante, Sancti Martyris corpus super magnum pulpitum, juxta plateam ecclesiæ, magna cum reverentia deduxerunt, & ibidem sic sanum & integrum omni populo est ostensum, & ab eo suppliciter adoratum. Sequenti autem die in arca marmorea simplici, ab Abbate S. Simpliciani Fratribus dono data, per præfatum D. Archiepiscopum est collocatum, capite alio in loco recondito. Cum enim S. Petrus adhuc in humanis esset, & cum præfato Abbate sermonem haberet, videns prædictam arcam, ipsi Abbati dixit: Arca hæc pro corpore unius Martyris conveniens esset. Cujus verba prædictus Abbas ad memoriam reducens, cognita S. Martyris translatione, prædictam arcam, ut dictum est, Fratribus

dono dedit. Communitas autem Mediolani, ob Sancti Martyris reverentiam, circa prænominatam arcam, cortinam ferream valde pulcram, cum aquilis & leonibus, fabricari fecit.

## CAPUT VIII.
## Festum & vota S. Petro facta violantes puniuntur.

[57] Porro de miraculis ejus canonizationem præcedentibus & sequentibus licet plurima referantur in diversis mundi partibus coruscasse, ea tamen breviter perstringenda sunt quæ in ejus a Legenda & in libro qui vitas Fratrum intitulatur, conscripta sunt; nec non & quæ de mandato Venerabilis Patris Fr. Berengarii Magistri Ordinis FF. Prædicatorum XIII sunt collecta & scripto demandata, ac etiam quæ Venerabilis P. Fr. Petrus Calo Clugiensis Ordinis Prædicatorum in suo magno Legendario collegit. Illum in hoc opere narrationis ordinem sequemur quem in libro secundo, in descriptione miraculorum S. Dominici servavimus. Nec puto me omnia, quæ per eum Dominus operatus est, miracula collegisse: quia alia quoque ejus meritis perpetrata fuisse non dubito, & quotidie fiunt, quæ ad mei notitiam non venerunt, nec veniunt, quia forte ex Fratrum negligentia scripto non sunt demandata. Dum post S. Petri Mart. canonizationem, festum apud Mediolanum solenniter celebraretur, [Arbor a lignatore festo ejus cæsa sanguinem fundit:] credens quidam hæreticorum puerum suum in die præfati festi misit ad silvam, ut ligna incideret. Et dum ille diceret, malum esse in tanti Martyris festo a tali opere non vacare; infidelis vir iste exasperans eum, in contemptum festivitatis ipsum ire coëgit. Qui Dominum suum metuens, perrexit; rogans Dominum Jesum Christum, ut in honorem Sancti, cujus Dominus suus injuriam procuraret, miraculum aliquod dignaretur ostendere. Cum igitur accepta securi quærcum incidere vellet, ad ictum primum de quercu tam copiosus exivit

sanguis, quod ferrum manubriumque ac manus illius & terra magno spatio sunt sanguine rubricata. Tunc ille clamans statim rediit, & quod factum fuerat fideliter enarravit. Currunt multi cum domino suo, & miraculi veritate perspecta S. Petrum Mart. in majori habuerunt devotione, & incredulus ille ad Sancti devotionē & fidei catholicæ veritatem est conversus.

[58] Quidam juvenis de civitate Comensi, Gaufredus nomine, dum pannum tunicæ S. Petri Mart. habitum reverentius custodiret, & quidam hæreticus ei deridendo diceret, quod si Sanctum eum crederet, pannum ipsum in ignem projiceret; &, si non comburi eum contingeret, absque dubio Sanctum crederet, & suæ fidei adhæreret. Mox super carbones accensos pannum tunicæ S. Petri Mart. projecit: [hæreticus vestem ejus in igne illæsam videns convertitur:] sed ab ipso igne incombustus longius resilivit: deinde per se super carbones rediens ipsos accensos & ardentes penitus extinxit. Tunc adhuc dicente incredulo. Sic per omnia faciet tunicæ meæ pannus: positus super carbones allatos ex una parte pannus hæretici, & ex alia sancti Martyris pannus; mox hæretici pannus, ut ignis calorem sensit, penitus est combustus; sancti vero Petri pannus in ignem prævaluit, & ipsum ignem omnino extinxit, ita quod nec pilus aliquis combustus est. Quod videns haereticus ad viam rediit veritatis, & miraculum omnibus propalavit.

[59] Cum quidam Mediolanenses cives in commune comedentes de Beato Martyre invicem litigarent, unusque [quidam in S. Petrum blasphemus tantum non suffocatur:] eorum sanctitatem Martyris & miracula protinus depravaret, sumpto quodam sub attestatione morsello, quod eum deglutire non posset, si circa hoc falsum diceret; sensit mox ipsum suo gutturi sic hærentem. ut illum educere vel inducere non valeret. Quare illico pœnitens, & jam vultus mutato colore quasi sentiens

vicinæ mortis eventum; facto intra se voto, quod linguam de cetero ad talia non relaxaret, fuit protinus eo evomito liberatus. Alium quoque nobilem Mediolanensem Sanctus a detractione correxit: digitos obrigescere faciens, ut omnis homo timeret & omnis lingua confiteretur Catholicæ fidei veritatem & sui propugnatoris virtutem, & signorum nequaquam magnalia depravarent. Apud Florentiam juvenis quidam, hæretica pravitate deceptus, cum in ecclesia Fratrum de Florentia cum quibusdam juvenibus antë quamdam tabulam staret, in qua S. Petri depictum erat martyrium; lictorem evaginato gladio Martyrem percutientem prospiciens, in hæc verba prorupit: Utinam ego ibi fuissem, [alius mutus fit:] quia validius percussissem. Quo dicto statim mutus effectus est. Cum, quid haberet, requisitus a sociis nihil respondere valeret, dum ab ipsis domum duceretur, videns in via ecclesiam quamdam S. Michaelis, de manibus sociorum elapsus, eam intravit: & flexis genibus corde sanctum rogavit Martyrem, ut sibi indulgeret: voto, sicut potuit, se obligans, quod, si liberaretur, sua confiteretur peccata & omnem hæresim abjuraret. Tunc subito ad domum Fratrum veniens, peccata sua abjurata hæresi confessus est; data licentia Confessori, quod hoc ipsum in populo prædicaret. Ipse vero in publica prædicatione exurgens, coram omni multitudine cuncta confessus est. Vir quidam Obizo nomine, credens hæreticorum, cum occasione cujusdam hæreticæ consanguineæ suæ ad ecclesiam Fratrum Mediolani & ad tumbam S. Petri pergens, duos ibi denarios conspexisset, [alius pecuniam a sepulchro ejus auferre volens obrigescit.] ipsos accipiens dixit: Bonum est, ut istos bibamus. Statimque totus tremere cœpit, nec de loco eodem aliquatenus se movere potuit. Qui territus prædictos denarios in loco suo restituit: & inde abscedens, attendens S. Petri virtutem, hæresim deseruit, & ad catholicam fidem se convertit.

[60] In provincia Teutoniæ apud Trajectum, mulieres quædam videntes ad ecclesiam FF. Predicatorum in honorem S. Petri Mart. magnum fieri populorum concursum, [mulieribus in S. Petrum dicacibus] dum ipsæ in platea consisterent & filarent, adstantibus sic dicebant: Ecce isti Prædicatores omnes lucrandi modum invenerunt; nam ut magnam possent pecuniam cumulare, & lata ædificare palatia, novum nunc invenerunt Martyrem. Quibus hæc & his similia dicentibus, ecce subito filum totum sanguine cruentatur, & digiti, quibus filum torquebatur, [pertentosus sanguis fluit per digitos:] sanguine mox replentur. Quod illæ videntes & admirantes digitos diligenter abstergunt, ne forte eis ex incisura provenisset. Sed dum digitos omnino sanos conspicerent, & filum sic sanguinolentum viderent, trementes ac pœnitentes dicere cœperunt: Vere, quia pretiosi Martyris sanguini detraximus, nobis hoc prodigium sanguinis tam stupendum evenit. Currentes igitur ad domum Fratrum omnia Priori exposuerunt, filum sanguine cruentatum præsentantes. Prior autem ad multorum instantiam solenni prædicatione indicta, quidquid prædictis acciderat mulieribus coram omnibus retulit, filumque cruentatum ostendit. Verum quidam artis Grammaticæ magister, in eadem consistens prædicatione, factum illud cœpit malitiose pervertere, adstantibusque dicere: Videte, quomodo & qualiter isti Fratres simplicium corda decipiunt: [quod quadam alius non credens in febrim subito incidit.] nam cum aliquibus mulierculis de suis familiaribus condixerunt, ut filum ipsum in aliquo tingerent sanguine, & sic quod miraculose accideret, narrarent. Dum hæc ille diceret, plagam protinus divinæ ultionis excepit, & in ipsum validissimarum febrium impetus irruens multis conspicientibus sic vexavit, ut de prædicatione ipsa inter amicorum manus ad domum deferretur propriam. Sed dum vehementer febris excresceret, prædictum Priorem accersiri fecit; & reatum suum confitens, Deo & S. Petro coram dicto Priore votum

vovit, quod, si ejus meritis sanitatem reciperet, eum in speciali devotione haberet, & de cetero linguam ad talia non laxaret: Mira res. Mox ut prædictum votum emisit [sanitatem] integram recepit.

[61] Dum Fratres Prædicatores Eugubini Conventus in Tuscia, in ecclesiæ suæ facie, pingi fecissent S. Petri martyrium, qualiter ab hæretico occisus fuit ob fidei defensionem & Catholicæ veritatis, contigit viros quosdam de Eugubio quadam die inde transitum facere: quorum unus, a quibusdam male sentientibus informatus, videns picturam dixit: Fratres isti pingere faciunt figuram istius Fr. Petri, quomodo mortuus fuerit, quasi subierit pro fide Christiana martyrium: sed ego pro certo habeo, quod ipse non pro fide, sed propter mulierem quamdam malam occisus fuit. Cum autem a sociis pro hac argueretur blasphemia, ait: Rogo Deum, quod ego ita occidar gladio, [alius Martyrem negans occiditur:] sicut iste occisus fuit, si ipse pro fide sustinuit passionem. Ante vero unius mensis terminum divina ultio subsecuta est; nam in manus quorumdam inimicorum incidit, qui, quia ab eo verbis & factis offensi fuerant, linguam ei amputare voluerunt; sed quia ipsam eis exhibere noluit incidendam, evaginatis gladiis ipsum omni auxilio destitutum multis impetentes vulneribus occiderunt, & sic pro sua blasphemia mortem talem pertulit, qualem S. Petro Mart. detrahendo, justo Dei judicio, ore proprio sibi imprecatus fuerat.

[62] Alius quidam in eadem Eugubii civitate, dum a quibusdam audisset S. Petri Mart. sanctitatem & miracula commendari, mentis tenebrositate cæcatus ait: si Fr. Petrus Sanctus est, rogo Deum, ut mala morte me mori faciat. [alius non credens Sanctum ab equo proteritur:] Infra mensem ab ejus prolatione sententiæ in seipsum, dum vir quidam in equo per viam curreret, & ab omnibus, ut quilibet ab equi impetu sibi præcaveret, clamaretur; ceteris divertentibus a loco periculi, qui in via erant,

sancti ille detractor Martyris, qui extra viam erat, subito Dei judicio eum perurgente ad viam cucurrit, & quasi auditu careret & visu, currenti equo in medio viæ se objecit. Equus autem tanto impetu ipsum ad terram allisit, quod statim in suæ vindictam blasphemiæ expiravit. Cum Fratres Prædicatores præfaræ civitatis Eugubii in vigilia festivitatis S. Petri Mart. juxta patriæ consuetudinem, sero signum campana facerent, propter festum quod in crastinum erat celebrandum; quidam magnæ sanctitatis vir, Fr. Richardus nomine, qui cum fratre suo in monte civitatis ejusdem, qui loco Prædicatorum imminet, in cella consistebat, moleste ferens pulsationem hujusmodi, timens ne Fratres vana moti intentione hoc agerent, dixit fratri suo: Satis deberet Fratribus illis sufficere, cras in festo suo campanam pulsare, & sero hanc suæ festivitatis ostentationem non facere. Nocte vero dum orationi incumberet, [alius contra festum mumurans ab ipso Sancto corripitur,] apparuit illi S. Petrus Martyr in aspectu pulcherrimo, in habitu sui Ordinis, cappam habens colore nigram, sed rosis aureis coruscantibus undique coopertam, qui ipsum pro hujusmodi murmure corripuit, dicens: Fr. Richarde, ego sum ille S. Petrus, contra cujus reverentiam sero indebite murmurasti: quo dicto disparuit. Ille autem culpam suam humiliter recognovit, & S. Petrum Christi Martyrem in maxima deinceps reverentia habuit.

[63] In civitate Nicosiæ apud Cyprum, Domina quædam valde nobilis fuit, uxor principis Galilææ, quæ annis fere quatuordecim sterilis fuerat, [proles voto S. Petro facta impetrata,] cum non modica cordis tristitia; quæ audiens die quadam miracula nonnulla S. Petri Mart. recitari, oratione fusa ad ipsum, vovit, quod, si filium ei impetraret a Domino, nomen illi ejus imponeret, & debito tempore vita comite eum Ordini Fratrum ipsius Martyris daret. Infra vero decem menses ab emisso voto filium peperit, cui Petrus nomen imposuit. Cum autem post sex menses

præfatum filium parvulum ad se deferri jussisset, ipsumque in gremio teneret, conspiciēs filium pulcherrimum esse, vano mota affectu in eum intuens, [eo retractato moritur:] dixit: Non habeat S. Petrus pro malo, tu numquam ejus eris Frater. Mira res! statim ut verba revocationis voti protulit, puer qui usque ad illam horam sanus extiterat, protinus infirmatus est, atque eo die ex hac luce migravit: sicque ingratitudo amittere digna fuit, quem devotio accipere meruerat. In civitate Esculana in Marchia Anconitana, Domina quædam uxor cujusdam nobilis militis, D. Jacobus Bonhominis dicebatur; cum per annos plures filium non haberet, S. Petro Mart. se devovit, promittens de consensu viri sui, quod, si ei a Domino filium impetraret, eum habitu alio numquam indueret nisi habitu Fr. Prædicatorum; & vita comite pro posse laboraret, ut filius ille ætate debita eumdem Ordinem introiret. Post tempus modicum a promissione prædicta concepit & peperit masculum. [alius simili ex causa mortuus] Cum autem puerulus annum & dimidium jam complesset, & jam ei vestimenta fieri deberent; cernens mater puerum fore pulcherrimum, de promissione facta doluit; incongruum reputans, quod tam decorus puer religionis habitum deferre deberet: unde quod voverat revocans, secularibus & delicatis eum induit vestimentis. Dei autem justo operante judicio, ut ex pœna filii mater ingratitudinis suæ culpam cognosceret, post paucos dies graviter infirmatus est. Omni vero medicorum deficiente auxilio, in extremis laborare cœpit. Mater vero culpa recognita, cummulta precum instantia pro liberatione filii ad S. Petri Mart. auxilium se convertit, promittens se quod voverat impleturam, si eum pristinæ restitueret sanitati. Perrexit statim ad locum FF. Prædicatorum parvulo assumpto, & cum magna dominarum caterva: quem super S. Petri Mart. altare reponens, ei multis cum lacrymis commendavit. Oratione finita puer continuo expiravit: mater vero tristitia plena corpusculum filii in gremio tenuit, ut veraciter comprobaret si vere mortuus esset.

Convenerunt autem ad spectaculum istud Fratres & cives multi: qui omnes, una cum dominabus quæ cum matre venerant, judicaverunt & cognoverunt ipsum vere mortuum esse.

[64] Mater vero Fratribus dixit, ex quo S. Petrus non vult eum vivum, [matre pœnitentiam agente, reviviscit.] mortuum ipsum suscipite Dum igitur fovea pararetur, adstantes dominæ pueri matrem induxerunt, ut S. Petrum pro suscitatione pueri precaretur, Quæ mentis assumptis viribus, corpusculum pueri super altare Martyris reposuit, & ab ipsa adstantibusque omnibus oratio fidelis facta est & devota. Oratione finita statim revixit puer, integra sanitate recepta, & videntibus omnibus risit, lacque suscepit, & prout consueverat & sciebat loqui cœpit. Hoc autem insigne miraculum in tota civitate Esculana notum fuit. Cum vero prædicti pueri parentes post multum temporis in quodam suo prædio comederent, & de recenti caseo, quem habebant, puero in vigilia S. Petri Mart. porrigerent, qui recentem caseum libenter comedere consueverat; ille quasi fastidiens renuebat, & prout poterat, balbutiendo dicebat: Nolo caseum comedere, quia hodie S. Petri Mart. vigilia est. Parentes autem illius illa die hanc fore vigiliam ignorabant; qui ad proximam statim mittentes ecclesiam, ita ut puerulus affirmabat invenerunt. Inquirentes autem ab omnibus de familia, invenerunt, quod nullus de familia coram puero de hac vigilia mentionem fecerat, nec de festo; carnes vero & ova contra suam consuetudinem renuit dicens, sibi talia propter S. Petri Mart. vigiliam non licere.

[65] In eadem Esculana civitate erat matrona quædam, Romana nomine, quæ ex marito suo quatuor peperit filios, [Tertius similiter impetratus,] qui omnes adeo brevi vixerunt tempore, quod nullus ex eis quartum compleverit mensem: ipsa vero tristitiam haud modicam sustinebat, tum propter filiorum mortem, tum quia ex hoc viro suo

odiosa reddebatur. Audiens autem a quibusdam Fratribus recitari, quod S. Petrus Mart. cuidā Dominæ in Flandria, quæ quatuor mortuos pepererat filios, mirabiliter subvenisset, de ipsius meritis spe concepta, ipsum pro sua tristitia instantibus precibus exoravit. Cum post modicum concepisset, casus præteritos metuens, votum vovit S. Petro Mart. quod si filium haberet masculum & viveret, ante septennium vita comite eum indueret habitum Ordinis sui, & suo tempore pro posse laboraret, ut prædictum intraret Ordinem; cui voto vir suus consensum præbuit. Natum igitur puerum Petrum vocavit; cumque ætatis suæ menses quatuor implevisset, parentes ipsius firmiter ad invicem statuerunt, mutato proposito, filium tenere pro se, & alium S. Petro Mart. secundum formam ante promissam tradere: ipsa autem die fuit puer graviter infirmatus, & invalescente morbo per dies multos hydropicus effectus est. [retractato a patentibus voto] Cum medicinæ auxilio ei subveniri non posset, judicatum fuit per medicos ipsum aut cito moriturum, aut gibbosum fieri oportere: fuit autem infirmus viginti duobus mensibus, infra quos nec ambulare nec per se subsistere potuit, sed semper in lecto decumbebat. Post hæc adveniente S. Petri Mart. festo, matrona quædam matri pueri consilium dedit, ut S. Petrum pro morte filii, qui tanto languerat tempore, precaretur: dicebat enim, [hydrope.] melius semel mortuum filium flere quam quotidie moriturum. Mater autem ejus ait: Credo S. Petrum Mart. tantæ benignitatis esse, quod libentius sanitatem puero impetrabit, quam mortem. Recognoscens autem cum lacrymis culpam suam, ad altare S. Petri Mart. detulit eum, ipsumque humilibus ei precibus commendavit. Ipsa autem die tumor omnis de pueri corpore penitus evanuit, & infra octo dies perfecte sanatus firmiter & libere ambulavit Completis vero a nativitate annis quinque ejus pater defunctus est; mater autem filii solatio carere nolens, quod S. Petro Mart. promiserat, non servare deliberavit. Ipsa vero die qua sic

firmavit, pes filii ita periculose intumuit,quod de ipsius cura medici dubitabant. Avia autem pueri filiam suam de propositi mutatione redarguens, una cum ipsa, [tumore pedis] voto iterum emisso & firmato, puerum ad altare S. Petri Mart. detulit; & cum Fratres pyxidem reliquiarum S. Petri Mart. super pedem posuissent pueri, statim omnis dolor & tumor recessit, & liberatus puer coram omnibus adstantibus ambulavit.

[66] Post prædictum autem miraculum anno dimidio revoluto, mater puerum Ordinis habitu induit in domo propria, ut S. Petro Mart. promiserat: quo facto quidam ejus consanguineus ipsam dure redarguit, quod filium unicum Fratribus dare vellet, & apprehendens scapulare pueri, laceravit illud; in tantumque matrem induxit, quod ipsa consensum præbuit, ut filius seculari vestiretur habitu. Tunc ipsa die puer mutato habitu sanus ad scholas perrexit, [& gutturis successive afflictus, sanatur,] sed vespere maximo cum gutturis tumore rediit pariter & dolore, collumque sic retortum habebat, quod maxillam nisi super humerum tenere non valebat. Mater vero hoc videns, cognovit hoc in pœnam suam sibi ideo evenisse, quia promissionem non servare disposuerat. Contigit autem die quadam, dum emplastrum super guttur ejus apponi deberet, Fratres Prædicatores visitationis gratia advenisse; qui mulierem de tanta cordis instabilitate corripientes, eam hortati sunt, ut contrito corde & fideli proposito rursus auxilium S. Petri Mart. invocaret. Facto ab ea iterum voto cum fide & reverentia magna, Fratres in nomine S. Petri Mart. super puer guttur [emplastrum] posuerunt. Mane facto medicus affuit, & ligaminibus dissolutis inventus est puer dolore & tumore plenissime liberatus; judicante medico, quod emplastrum illud, naturali virtute, in tam brevi tempore, illi infirmitati conferre non poterat sanitatem. Agentibus autem omnibus Deo & Beato Martyri gratias, mater pueri in promissione semper fuit.

## CAPUT IX.
## Febri, hydropisi aliisque morbis & defectibus laborantes per S. Petri merita sanati.

**[67] [sanantur apostema] Duo Fratres Ordinis Prædicatorum, devote ad ipsius suffragia recurrentes, beneficia miraculosæ sanitatis sunt consecuti. Nam cum unus a quodam vehementi apostemate, quod patiebatur in costis, judicio medicorum non posset absque incisione curari, nec sine mortis periculo incidi; cum esset multum pavefactus, ad Martyris tumulum confugit: dumque suum discrimen Beato committeret Martyri, prius quam postulare præsumeret, est beneficio donatus: protinus enim omni tumore & apostemate toto fuit absque periculo & incisione, curatus. Alius vero cum esset hydropicus, [hydrops,] & medicinis non posset aliquibus se juvare, nec naturalem stomachis restaurare calorem; in Conventu Astensi, ante altare S. Petri Mart. orans obtinuit protinus totius corporis sanitatem. In conventu Bononiensi Fr. Joannes Polonus quartana laborabat. Cum autem in festo S. Petri Mart, sermonem ad Clerum facere deberet, [quartana,] & accessionem eadem nocte juxta cursum febris exspectaret, vehementer extimuit, ne in injuncto sibi sermone deficeret. Conversus itaque ad sancti Petri Mart. suffragia, ad altare ipsius magna cum devotione accessit, orans, ut ejus meritis juvaretur, cujus debebat gloriam prædicare: sicque factum est, ut febris illa nocte cessarit; & postmodum eum numquam invasit. [apostema,] Frater quidam in conventu Lugdunensi cum quasi ad mortem infirmus jaceret, in colloque apostema haberet, de quo non modicum dubitabant; petiit multa cum devotione a Magistro Ordinis, qui tunc præsens erat, ut S. Petri reliquias sibi adferri faceret, eo quod ejus meritis sanitatem se recepturum firmiter speraret. Cum autem cum eis signatus fuisset, statim se convalescere sensit plene liberatus.**

[68] Quidam Coloniensis Conventus in gutture strumam annis duobus habebat adeo magnam, quod eum plurimum deformabat, & plurimorum judicio periculosa erat. Hic in tanto periculo constitutus S. Petro Mart. promisit, si strumam illam evanescere faceret, eumque a tanto periculo liberaret, quotidie ad ipsius honorem unum Pater noster diceret. [struma] Statim igitur emisso voto struma illa detumescere cœpit, subitoque evanuit. Omnes illius domus Fratres Deo & S. Martyri gratias egerunt, quod prædicto Fratri, cui medicorum suffragia prodesse non poterant, plene restituit sanitatem. Frater quidam de Ordine Prædicatorum cum alterum ex genibus ita læsum haberet, quod sine baculi adminiculo ambulare non posset, emisso voto se convertens ad martyrem, quod de ipso in Vesperis & Laudibus de cetero memoriam faceret, si eum meritis ipsius Dominus liberasset, confestim non sensibiliter perpendit effectum. [genu & pedis vitium,] Qui postmodum perfecte sanatus illius memor esse non desiit, postmodum virtutum ipsius testis effectus. Frater quidam Esculanus Ordinis Prædicatorum, Petrus nomine, dolorem magnum & tumorem habebat in pede; & plurimis adhibitis remediis medicorum, nec melius habere nec per se subsistere vel ambulare valebat: nocte autem festi S. Petri Mart. cum Fratrum auxilio ad ipsius Martyris altare visitaturus accessit, & Martyris deosculans reliquias orationeque fusa, ad cellam deductus est: post primam autem dormitionem evigilans, reperit se totaliter liberatum.

[69] Religiosus ac Reverendus Vir Fr. Philippus Brixiensis, Ordinis FF. Minorum, [immodico æstuante] in publica prædicatione retulit; quod cum ipse de Roma in Lombardiam rediret, & in montibus Thusciæ præ calore nimio æstuaret, socio dixit: si S. Petrus Martyr, de Ordine Prædicatorum, qui dum Mediolani in calore maximo prædicaret æstuanti populo nubis refrigerium impetravit, nobis in tanto ardore gratiam similem impetraret; hoc

ego miraculum & alia quæ scirem ejus laudibus cedere, in prædicatione publica ad ejus enarrarem gloriam. Finitis verbis, quod petivit, habuit: nam cum prius nullius nubeculæ in aëre vestigium appareret, subito Dei nutu, pro Martyris sui gloria, super ipsos Fratres nubes apparuit, quæ ipsis æstuantibus refrigerium præbuit. Frater vero præfatus, de miraculo dubius, ait: [nube submittitur.] Jucundior & delectabilior mihi esset hæc nubes, si ex miraculo provenisset; ego tamen magis puto a casu quam ex miraculi operatione provenisse. His finitis verbis nubes confestim ex toto disparuit, & in vehementiori quam fuerant prius ardore fuerunt. Tunc Fr. Philippus, viso super se Dei judicio, culpam suam humiliter recognoscens, ad pedes socii, qui Sacerdos erat, humiliter se prostravit, & de sua incredulitate & ingratitudine confessionem fecit; promittens firmiter quod si S. Petrus Mart. gratiam ei rursum impetraret, & quam interveniente culpa perdiderat nubem, ad ipsius gloriam revocaret; miraculum quod evenerat venerabiliter crederet, & honorem ipsius & culpam propriam in prædicatione publica, ad Dei & Martyris ipsius gloriam, prædicaret. Confessione igitur & oratione facta & absolutione recepta, nubes continue S. Petri gratia rediit, quae ipsos tota die prosequens, magno cum refrigerio in suo itinere obumbravit.

[70] In monasterio S. Angeli magni de Esculo, [Curantur cordis oppressio,] quod est sub cura FF. Minorum, Soror quædam, Margarita nomine, gravissimum cordis defectum sæpe patiebatur; qui tanto eam frequenter dolore premebat, quod nec loqui nec movere se poterat; sicque fortiter tremebat, quod a sex Sororibus sic firma teneri non poterat, quin cum ea fortiter tremerent, ac si eamdem & ipsæ paterentur infirmitatem. Cum autem nullis posset medicorum remediis liberari; die quadam dum gravamen illud pateretur actualiter, & præ angustia loqui non posset, S. Petri auxilium invocavit. [fistula,]

Oratione brevi completa, statim fuit ab infirmitate liberata, nec eam ulterius passa est. Alio tempore dicta soror; horribilem fistulam in pollice manus dexteræ passa est; nam cum tria foramina juxta unguem haberet, & per mensem unum sub medicorum cura nihil proficeret; timentes medici totius manus corrosionem, deliberaverunt omnino pollicem amputare. Quodam autem sero de humano desperans auxilio, S. Petrum Mart. devote invocavit & fideliter, ut digitum ei amputari non permitteret. Mane facto adfuit medicus, & digiti ligaturas dissolvens, eam plenissime liberatam invenit & foramina solidata: quæ S. Petro Mart. immensas referens gratias, infirmitatem illam ultra non sensit.

[71] [os humeri distortum,] In eodem monasterio Soror quædam, Marina nomine, pœnam hujuscemodi multo tempore passa est: nam os humeri ejus in tantum super omnia ossa excreverat, quod quando brachium quantumcumque leviter elevabat, tanto cruciabatur dolore, quod rugitus magnos quasi semper emittere cogebatur, unde ejus vita sibi aliisque inutilis erat & pœnosa. Dum igitur quadam die brachium elevaset & dolores pateretur gravissimos, memorans qualiter S. Petrus Mart. Sororem Margaritam præfatam ab infirmitatibus liberavit gravissimis, ipsum in corde suo, quia præ dolore loqui non poterat, devotissime invocavit: & dum intra se de ipsius virtute & meritis cogitaret devota & fideli mente, in animo suo hujuscemodi imaginationem volvere cœpit, quod si tabulam vel scedulam aliquam haberet, in qua S. Petri Mart. imago depicta foret, si ipsam super infirmitatis locum apponeret, S. Petrus ei sanitatem a Domino impetraret. Mira res! Statim cum imaginem ipsam cum deliberatione & devotione firmavit habere, os illud, quod illam sic gravissime affligebat, ad modum & locum debitum protinus est reductum; & omni dolore cessante, pristinam recepit sanitatem; ita quod deinceps ab omni gravamine hujusmodi libera, brachium

illud absque omni dolore, sicut & reliquum, exercebat libere & levabat.

[72] [calculus,] Cum Religiosus quidam de Esculo, Fr. Transmundus nomine, præfati monasterii Capellanus, passione arenularum creberrime & gravissime turbaretur; quadam die dum passione ipsa gravaretur magis solito, ad S. Petri Mart. recurrit auxilium, & facto intra se voto (nam tunc quidem loqui non poterat præ dolore) quod si eum liberaret, ejus imaginem pingi faceret, & annuatim in ipsius festo ecclesiam FF. Prædicatorum cum oblatione cerei, quamdiu viveret, visitaret; statim omni dolore cessante, fuit perfecte ab ipsa infirmitate & integre sanatus. [febris,] Quemdam Abbatem Pictaviensis diœcesis, cum graviter febribus laboraret, ita quod ex ipsis mori timebat, visitavit Frater quidam Ordinis Prædicatorum ejus cognatus, dixitque ei, quod, si voveret se Deo & S. Petro, qui noviter in Lombardia pro fide Christi occisus fuerat, sed nondum canonizatus, a febribus liberaretur. Qui statim exhortationem Fratris complens, candelam suæ longitudinis accendi fecit, coram altari quodam in ecclesia, in honore S. Petri; & ex tunc omnino a febribus & ab omni infirmitate integram recepit sanitatem. In provincia Teutoniæ sanctimonialis quædam in claustro a Eccebach, Constantiensis diœcesis, [genagra,] Ordinis S. Sixti, existens, per annum & amplius gravem guttam in genu perpessa est, ita quod nullo remedio liberari poterat; & quia sepulcrum S. Petri visitare corporaliter non poterat (quia non licebat propter obedientiam nec valebat propter infirmitatem) audiens quod in quatuordecim diætis a loco illo Mediolanum adiri possit; cogitavit saltem sepulcrum prædictum mentali gressu ac devotione sedula visitare, pro qualibet diæta centum Pater-noster quotidie dicere proponens, in honorem S. Petri Mart. Mirum in modum! Cum tales diætas facere cœpisset, successive semper & paulatim melius habere cœpit. At ubi ultimam diætam fecit, ad

tumbam mentali progressu pervenit flexis genibus, ac si coram tumba foret, psalterium maxima cum devotione totum legit: quo expleto, ab omni infirmitate adeo liberatam se sensit, ita ut jam modicum quid sentiret; rediens vero eo modo quo iverat, antequam omnes diætas exolvisset, penitus sanata est.

## Annotata

Taëgii Ms. solum habet, quatuor diætas: sed correxi ex Flaminio: quis enim nescit, Constantiam a Mediolano distare p. m. circiter 200, horis plus quam 60: quibus conficiendis facile 14 diebus opus est viatori non expedito.

## CAPUT X.
## Varii per S. Petri merita ad vitam revocati.

[73] In Flandria mulier quædam, cum jam tres filios mortuos peperisset, & ex hoc a viro suo odio haberetur; S. Petri Mart. auxilium invocavit. Cumque quartum similiter mortuum peperisset, mater filium defunctum accipiens, [suscitantur, infans natus mortuus,] ad rogandum S. Petrum totam se contulit, devotis orans precibus, ut ejus filium suscitaret. Vix autem orationem compleverat; & ecce puer, qui mortuus fuerat, vivus apparuit: quem ad baptisma deportatum, cum definitum fuisset, ut Joannes vocaretur, Sacerdos dum Joannes dicere voluit, Petrus dixit: unde hoc nomen deinceps ob S. Petri devotionem retinuit. In Provincia Franciæ civitate Senonis, puella quædam cum in aqua fluminis, in quam ceciderat, per longum temporis spatium latuisset, tandem de flumine mortua extracta est: cujus mortis quatuor erant indicia certitudinis, videlicet magnum temporis spatium, rigiditas corporis, frigiditas, & nigredo. Quam cum ad FF. Prædicatorum portassent ecclesiam, [puella submersa,] eamque novo Martyri Petro devovissent, statim vitæ

restituta est pristinæ & sanitati. d In Provincia Thusciæ apud Narniam matrona quædam erat, quæ ad S. Petrum Mart. magnam habebat devotionem: hæc filium suum, annorum circiter trium, quodam mane in lecto mortuum reperit: metuens autem viro suo, quod acciderat indicare, ne forte contra eam excandesceret, ejus negligentiæ hoc imputando; misit ancillam suam cum corpore pueri ad ecclesiam FF. Prædicatorum, [puer suffocetus.] adjurans ipsam ne alicui casum panderet, sed discedente de ecclesia populo ipsum sub altari S. Petri Mart. poneret, sic occulte tamen ut videri a nemine posset. Sperabat autem orabatque fideliter, quod S. Petrus Martyr, infra cujus octavas hoc evenerat, filium suum ei vivum & incolumem redderet. Cum autem vir ejus, ubinam esset puer, inquireret, simulavit quod ad domum cujusdam consanguineæ suæ puerum transmisisset pro medicina quadam. Tertia vero die, dum Fratres Conventus illius in refectorio sederent ad cœnam, puer ille per S. Petri Mart. merita suscitatus, refectorium introivit lætus ac jucundus. Fratres vero mirati quomodo puerulus ille, quem multi ex eis noverant, sic solus esset, putaverunt quod ex oblivione post Vesperas relictus fuisset. Miserunt autem nuntium ad matrem, ut ancillam pro puero mitteret, quem in ecclesia ex oblivione dimiserat. Quæ cum aliis multis ad domum Fratrum currens, & filium lætanter suscepit, & miraculum fideliter enarravit.

[74] Mulier quædam apud Genuam, instigante diabolo, præ desperatione quadam, in domo propria, clauso ostio, manibus propriis se suspendit, & per magnam horam ut mortua ad trabem pependit. Dum autem a quibusdam de vicinia quæreretur, [mulier quæ se suspenderat,] & ad ostium pulsantibus nullum daretur responsum; per rimulas respicientes, viderunt eam in trabe suspensam. Per violentiam igitur irrumpentes, fune abscisso eam omnino mortuam repererunt. Tunc matrona quædam antiqua, quæ ad S. Petrum Mart. magnam habebat devotionem,

quæ etiam, quando juvencula erat, tunc ipsi aliquando confessa erat, adstantibus dixit: sicut S. Petrus Martyr hominem, qui ferrum ignitum e pro testimonio sanctitatis ejus accepit in manibus, conservavit illæsum, sic potest hanc miseram mortuam, si vult, suscitare. Et ad domum pergens, quamdam particulam cappæ S. Petri Mart. attulit, quamdiu ex devotione servaverat; & in ipsius nomine super ejus guttur posuit, omnibus qui aderant, S. Petrum Mart. devote & fideliter invocantibus. Statim igitur oratione completa, & panno cappæ apposito super defunctæ guttur; quæ ex propria malignitate mortua fuerat, ex S. Petri virtute ac benignitate surrexit, dans gloriam Deo & S. Petro Martyri suo, dicens se toto vitæ suæ tempore nunquam tantam sensisse dulcedinem in gutture, sicut quando revixit, in loco ubi prædictæ reliquiæ applicatæ fuerunt.

[74] In monte Pessulano nobilis quidam uxorem habens, per annos plurimos, filios de uxore habere non poterat. Cum ipse & uxor ejus S. Petro Mart. se humiliter devovissent, filium S. Petri meritis impetrarunt: qui, cum ad ætatem circiter annorum quinque venisset, gravi oppressus languore mortuus est. Pater vero, quamvis tristitia plenus, civium, Religiosorum & Clericorum copiosa multitudine convocata, corpus defuncti pueri ad ecclesiam Fratrum Prædicatorum deferri fecit, ubi fuerat tumulandum. [puer quinquennis,] Cumque defuncti corpus in feretro jaceret, & Clerus funeris prosequeretur officium, ecce mater defuncti, matronarum comitata caterva, contra patriæ morem, nimia devicta tristitia & grandi de S. Petro Mart. spe concepta, intravit ecclesiam; & ad S. Petri Mart. accedens altare, lacrymosis precibus ipsum interpellare cœpit, clamans & obsecrans, ut aut ei filium, quem a Deo impetraverat, redderet, aut eam ex hac luce revocaret, ne calamitatis, quæ virum suum opprimere cœpit, amplius testis esset. Ad clamorem igitur ejus Fratrum omnium Ordinum ibidem existentium multitudo

convenit, & ejus superabundanti compassi tristitiæ, genua flexerunt omnes, rogantes S. Petrum Mart. ut tanto dignaretur succurrere dolori. Brevi oratione facta, puer qui mortuus jacebat, vidente magna multitudine revixit; statim surgens incolumis, cucurrit ad matrem, dicens: S. Petrus Martyr, vestris pulsatus precibus, me suscitari impetravit.

[76] Juvenculus quidam eodem in loco cum pueris ludebat in strata, contigit autem virum quemdam cum equo, cui insidebat, per viam illam currendo transire, cumque alii pueri fugerent, solus ille fugam nescivit aut arripere nequivit. [alius ab equo obtritus] Et cum ille qui in equo erat, equum retinere non posset, cursu veloci impegit in puerum, & anterioribus pedibus pueri caput elisit atque confregit, pedes etiam posteriores super caput posuit: propter quod os capitis in pluribus partibus confractum fuit, & puer protinus expiravit. Delato autem filii corpusculo multa cum tristitia ad domum matris, & facto super eum planctu magno, tandem matri persuasum est, ut eum sepeliri faceret. Ipsa autem de S. Petri Mart. miraculis recordata, quæ multa ibi in circumstantibus partibus Dominus per eum fuerat operatus, ait: Nolo, ut hoc corpusculum sepulturæ tradatur quia spero quod S. Petrus Martyr, ad quem multa afficior devotione, ipsum vitæ & sanitati restituet. Tunc corpus illud ad ecclesiam FF. Prædicatorum deferri fecit, & ipsa magna cum caterva illuc festinavit, & ante altare S. Petri Mart. collocavit, & per eam aliosque qui aderant devota oratione facta, Fr. Priorem ad se vocari fecit; quem instanter rogavit, ut reliquias S. Petri Mart. adferret & super defuncti corpus poneret; quia in Domino confidebat, quod ipsum S. Petri meritis suscitaret. Prior autem matris precibus victus & lacrymis, sacristiam intravit, & sacris indutus vestibus, multa cum reverentia reliquias Sancti attulit, quibus confractum pueri caput tetigit: & statim ut fracturam ossis tetigit, tactum vulnus consolidatum est. Quo viso, per

fracturas singulas caput tetigit, & sic fuit caput cunctis videntibus consolidatum, ac si numquam confractum fuisset: puer autem adhuc vita carebat. Tunc mater reliquias super corpus defuncti apponi fecit; quo facto, Christi operante virtute, puer qui mortuus fuerat, vitæ & sanitati fuit integre restitutus.

[77] In Castro-novo ad sex milliaria a Monte-Pessulano distante, quidam scutifer ad extrema vitæ usque devenit, & a circumstantibus mortuus iudicatus est; quia omnia mortis signa tam in oculis, quam in aliis membris apparebant. Uxor autem ejus & parentes amicique eum tamquam mortuum flentes, ipsum finaliter S. Petro Mart. commendaverunt, [miles defunctus,] voventes si eum vitæ & sanitati pristinæ restitueret, ipsi una cum eo altare suum & reliquias, debitis cum oblationibus, in festo ipsius proximo visitarent. Mirum in modum! Subito facto voto, qui mortuus fuerat, revixit sanus & incolumis. Quod miraculum ipse & omnes prædicti, qui hoc viderunt, in dicto festo Fratribus & omnibus præsentibus sunt professi, ad Dei laudem & Martyris sui. Cujusdam Dominæ in monte Pessulano filius lactens, mortuus est, per dies aliquot ante festum S. Petri Mart. de cujus morte consolari non poterat. [& infans:] Audiens igitur a circumstantibus, qui ad eam consolandum advenerant, quod festum S. Petri in proximo futurum erat, qui super mortuos non modica operabatur miracula; cum lacrymis & gemitu, quibus plena erat, eumdem Martyrem invocavit, vovens ei quod si filium suscitaret, eum cum sudario & imagine cerea ad suum altare portaret. Mira res !mox facto voto, infans resuscitatus & hilaris ac manibus plaudens, matri suæ arridere cœpit: quæ infra ejus Octavas votum perficiens, & miraculum omnibus narrans, ante ejus altare filium devote præsentavit.

[78] Anno MCCCVII fuit eodem in loco quidam febre continua usque ad mortem infirmus, qui finaliter morbo

invalescente fuit a circumstantibus mortuus reputatus: unde per multum spatium fuit ejus velata facies, [vir febri extinctus,] & interim parentes de sudario & cereis cogitabant. Uxor autem ejus continue S. Petrum cum lacrymis & suspiriis invocabat. Cumque parentes & amici eum in sudario ponere vellent, & uxor nollet de loco se movere (quæ juxta ipsum erat, semper dictum Sanctum invocans) qui mortuus fuerat, revixit sanus & hilaris; & sudarium, quo involvi debebat, ad S. Petri Mart. altare devote portavit; & ejus reliquias multis præsentibus adorans, ad propria lætus est reversus. Eodem anno mulieris cujusdam filius graviter infirmatus mortuus est, circa noctis crepusculum. Quo viso mater tota nocte S. invocavit Mart. Petrum, ut Deus per ejus merita filium restitueret, Et ecce circa auroram puer oculos aperuit, & ad comedendum cibum requisivit. Quem mater, præsentibus omnibus, qui eum mortuum viderant & resuscitatum, cum voto quod fecerat & sudario, ad altare S. Petri detulit, Fratribus miraculum narrans, Deo gratias agens.

[79] Anno MCCCXII circa festū Pentecostes mulier quædam, filium usque ad mortem habens infirmum, cum in eo infirmitas invaluisset, finaliter eo mortuo cum viro suo desolata est, & quasi diro vulnere sauciata. Cœpit tunc S. Petrum Mart. invocare, multis cum lacrymis validisque clamoribus ac suspiriis, [& puer morto.] ut per ipsius merita Deus filium suum suscitaret. Et cum ab assistentibus nullam vellet vel posset consolationem accipere, sed magis ac magis talia precaretur; facto ab eis voto, subito, qui mortuus fuerat, totusque per longum temporis spatium frigidus fuerat, revixit; & cum parentibus & amicis ad ejus reliquias venit, & Fratribus miraculum fideliter enarravit. Eodem tempore in castro de Melgoris, [item vir alius] a monte Pessulano ad sex milliaria distante, mulier quædam filium habuit uxoratum, infirmitate gravi laborantem, de qua finaliter mortuus est.

Cum post multa vota, quæ pro filio fecerat, eum ut unicum diligens, non convalesceret; commotis maternis visceribus, flexis genibus & complexis manibus gemitus fundens & lamenta, tamquam omni solatio filii destituta, invocabat S. Petrum Martyrem & clamabat, ut sibi filium restitueret; cum ipsa nullatenus de sua misericordia dubitaret, & sciret eum multis in simili casu subvenisse. Mira res! Facto voto de sudario portando & candelis eorum qui traduntur sepulturæ, ut moris est, ad ejus reliquias; subito qui mortuus fuerat revixit. Mater vero gaudens & mirans de tanto beneficio sibi dato, cum prædicto filio suo venit ad reliquias S. Petri Mart. offerens ibidem quæ voverat, gratias agens Deo & sancto Martyri.

[80] [& infantes duo:] Anno MCCCXIV, infans filius Petri de Galbato mercatoris infirmatus est ægritudine mortali, de qua finaliter mortuus est. Pater igitur & mater propter festum S. Petri Mart. quod viderant a Confratribus & Confratissis fieri; & miracula magna & infinita, quæ viderant & audierant per eum fieri; ejus suffragia magnis cum lacrymis invocare cœperunt, voventes ei sudarium, imaginem & candelas. Et cum statim filium non suscitasset, parentes patris & matris de tanta mora extædiati, cœperunt patri & matri dicere. Quare non expedimus nos? quare ad sepeliendum non defertur? quid vultis facere? Tunc pater & mater, adhuc lacrymantes pro filii suscitatione, & orantes S. Petrum Mart. dixerunt: Nos vere credimus & confidimus, quod Deus eum nobis per merita S. Petri Mart. restituet. Et cum in istis versarentur verbis, cum parentibus & amicis lacrymari non cessantes, & S. Petrum Mart. deprecantes, subito prædictus infans revixit. Et pater & mater in vigilia sanctæ Crucis, sicut voverant, ad ipsius Martyris reliquias filium detulerunt, quæ voverant ad ejus tumulum offerentes, Deoque & beato Martyri gratias agentes.

[81] Anno MCCCXIX prid. kal. Martii, quidam infans mortuus natus est, secundum obstetricis & patris, aviæque ac ceterarum matronarum, quæ aderant dictum. Unde eum ad partem posuerunt. [quorum unus mortuus natus,] Avia dolorem patris cernens, Deo & S. Petro Mart. votum fecit, quod si a Deo impetraret, ut filius reviviscat, in tantum, quod baptizari possit, ipsum baptizatum ad ejus altare portaret. Pater igitur, cum flexis genibus, manibus complosis, cum lacrymis maximaque devotione S. Petrum Mart. orare non cessabat. Et ecce infans dextrum pedem movere cœpit aliquantulum: quo viso pater & avia vociferantes S. Petrum exorabant, ut miraculum quod inceperat consummaret, vitam infanti restituendo. Et cum in oratione persisterent, movit dexteram manum, & post oculos aperuit, totumque corpus movit; ipsoque baptizato, cum mater de puerperio surrexisset, infantem sanum & incolumem, cum avia aliisque parentibus ac amicis, ad altare S. Petri Mart. deduxerunt, Deo & Sancto gratias referentes.

## ANNOTATA.

Vitæ-Fratrum distinctius sic narrant: cum vir ejus odiret eam in tantam, ut cogitaret vel dimittere eam vel non amplius jacere cum ea, quarto concepit: & in S. Petro totam ponens fiduciam, votum emisit, ut si meritis ejus partus ipsius viveret, laboraret pro posse suo eum ponere in Ordine suo, si esset masculus; si vero femina, in monasterio feminarum. Sed adveniente partu cum peperisset mortuum sicut prius, & quæ astabant vellent ei celare, ex levi cognito earum murmure quod mortuus esset (licet vix posset credere, propter conceptam de meritis S. Petri fiduciam) portato demandato ad se puero

## CAPUT XI.

## Puerperis per S. Petri merita facilitas partus indulta, proles oculis & manu donatæ, quidam in periculo mortis servati.

[82] [Invocatus Sanctus puerperæ facilem partum concedit] Anno MCCCVII uxor Joannis de Cabanis de monte Pessulano, juvencula delicata, dolores partus habere cœpit, ita quod infans brachium totum ejecit. Et cum dolores invalescerent ipsamque usque ad mortem cruciarent, quia infans mortuus erat; vocatis medicis & aliis personis, nullum consilium & auxilium ab eis habens, quasi mortua ab omnibus est judicata. Media nocte pro aqua reliquiarum S. Petri Mart. parentes festinanter miserunt; eumque cum lacrymis invocantes, aquam illam in ejus ore posuerunt, & cum violentia non modica transglutire fecerunt; quia quasi mortua videbatur. Quo facto statim infans mortuus sine læsione matris exivit, & mater revixit, quæ mortua videbatur. Sequenti die mater ejus discalceatis pedibus & lutosis, quia pluerat & pluebat, cum voto quod promiserat venit ad Sancti reliquias, & suo Confessori Fratribusque miraculum enarravit: postmodum venit filia cum voto Sancti Martyris reliquias visitatura, Deoque ac Sancto gratias actura. Eodem tempore & anno quædam Domina partus dolores habere cœpit fœtus mortui, quem in ventre habebat, vocatisque obstetricibus & aliis feminis, medicisque ac chirurgicis, & aliis pluribus, a quibus sperabat auxilium, cum a nullo habere potuisset, Dominæ assistentes dictæ dominæ parentibus, eam quasi mortuam cernentes, [item alteri:] dixerunt. Quare ad S. Petrum Mart. non accurritis, qui nudius tertius, sicut scitis, quamdam a simili periculo liberavit. Quod illi audientes, illa quasi mortua existente, S. Petrum cum lacrymis & suspiriis invocaverunt, nocte profunda ei voventes, quod, si eam a mortis periculo liberaret, discalceatis pedibus omnibusque posthabitis, statim cum voto quod fecerant, ad ejus venirent reliquias. Mira res! statim infans mortuus, qui putridus erat, exivit

mane excoriatis brachiis; in cujus exitu tantus fœtor fuit, quod nulla persona cum matre remanere potuit, quantumcumque illi familiaris, amicabilis & propinqua esset. Et sic infante edito a mortis est periculo liberata: Dominæ vero, statim post Mislam, votum, quod fecerant, perfecerunt, ad reliquias S. Petri Mart. venientes, miraculumque ad Dei & Sancti laudem enarrantes.

[83] [& alteri, cujus prolem primam, manu] Mulier quædam de Monte-Pessulano, per quatuor annos sic fuit infirmata paralysi, & contracta ab umbilico superius, quod de lecto surgere non poterat, nec exire sine magno adjutorio: in quo tempore tres filios habuit; & quando primum parere debuit filium, facta fuit nigra, sicut pannus niger, ita quod a circumstantibus mortua fuit judicata, Cum ipsa in corde & circumstantes S. Petrum Mart. invocarent, filium peperit una manu carentem. Quæ cum convaluisset, infantem videre voluit, & videns eum unam solam manum habentem, denuo S. Petrum Mart. invocavit, ejus suffragia maximis cum lacrymis implorans. Mira res ! Subito alia manus infanti data est, ita sana & pulchra sicut alia. Eadem cum alium concepisset & pariendi appropinquasset tempus, in eodem statu fuerat sicut prius. [aliam donat oculis,] Cumque infantem sine oculis peperisset, & eum sic vidisset orbatum, invocato S. Petro Mart. eique emisso voto, subito infanti pulcherrimi dati sunt oculi. Tertio concepit, & accidit sicut prius, & filiam peperit cum omnibus membris, sed macilentam, deformemque ac scabiosam, & quasi a natura totaliter alienam, ut etiam leprosa horribile monstrum videretur. [tertiam a scabie mundat:] Quæ S. Petrum Mart. cum lacrymis invocavit, & devotio maxima fecit, quod mater ab infirmitate sua totaliter liberata, & filia ejus pulcherrima effecta est, & in novam mutata creaturam. Hæc retulit dicta mulier, anno MCCCV veniens ad reliquias S. Petri Mart. cum tribus infantibus prædictis & cum suis parentibus & amicis, ut eas venerarent. Quod audientes

Fratres, qui eis reliquias ostendebant, [alterius proli occiput instaurat:] Deum & Martyrem sanctum glorificaverunt. In eodem loco mulier quædam filium peperit, sed deformem, habentem solam capitis anteriorem partem usque ad aures inclusive, de posteriore parte nihil habentem: quo viso mater, recordata miraculorum, quæ ibi S. Petrus Martyr operatus est, eum cœpit maximis cum lacrymis invocare. Cum puerum juxta se teneret in lecto, janua cameræ clausa existente, intravit ejus cameram Frater unus Prædicator, in aspectu pulcher et in incessu gravis magnæque reverentiæ; & filium quem illa juxta se tenebat, benedixit, statimque disparuit. Mox vidit mater filium capite integrum, colore flavum & aspectu pulchrum quem mater Priori & Fratribus dicti Conventus Montis-Pessulani præsentavit, ut hoc miraculum populo prædicaret. Mulier quædam cum ad partum pervenisset, frustum carnis peperit, nullius animalis vel hominis similitudinem habens. Quo viso tristis vehementer effecta, ad S. Petri Mart. auxilium se contulit, [fœtum informem reformat:] quem in speciali habebat devotione. Oratione autem & voto ad ipsum emisso, statim Dei virtute ex carne illa corpus pueri formatum est integraliter & perfecte.

[84] Mulier quædam, Maria nomine, in civitate Metensi, septem pepererat filios, quosdam in partu mortuos, alios semivivos, qui non multum vixerunt post susceptum baptismum. Accidit, ut Frater quidam Ordinis Prædicatorum, cognatus ejus, [difficultatem partus adimis] de Captulo provinciali missus, Conventui illi assignatus fuerit. Et cum Fratris reditu cognati & amici gauderent, dicta mulier amarissime flebat. Cum autem quæreret ab ea Frater tanti fletus causam, illa spiritu reassumpto, ait: Ego misera prægnans sum, & miserabilem expecto partum. Cui Frater, Ne timeas, inquit, sed de Dei bonitate & meritis novi Martyris Petri de Ordine nostro confide, eique te ipsam in partu tuo cum

devotione recommitte; promittasque quod si masculum pepereris, ipsum Petrum denominari facies, & annis singulis ipsum cum honestis oblationibus ad S. Petri Mart. altare præsentabis; festumque ejus observabis, ac officium de eo audies & sermonem: sicque secura esto, quod te a periculo liberabit; & filio, quem in utero gestas, vitam dabit, conservabitque. Ipsa his auditis exhilarata, verbisque Fratris firmiter adhærens nihilque hæsitans mœrore deposito & in gaudium mutato, ait: Omnia quæ dixistis me facturam voveo. Cum autem tempus pariendi advenit, facillimum edidit partum, masculumque vivum peperit, & in baptismi susceptione Petrum a S. Petro nominari fecit: fuit autem puer ille admodum gratiosus. Miraculum autem istud tam celebre per civitatem Metensem fuit divulgatum, adeo quod mulieres ex tunc in partu laborantes S. Petrum de Ordine Prædicatorum invocare cœperunt,

[85] [prolem sterili concessam] Alia quædam Domina, quæ filium a multo tempore habere non poterat, pro hac gratia S. Petrum Mart. votis multis & devotis precibus invocavit. Post non multum vero temporis peperit filium, habentem in capite & in humeris cicatrices, in locis videlicet illis, in quibus S. Petrus vulneratus est, quando ab hæreticis pro defensione fidei Catholicæ fuit interfectus: ut ex hujusmodi cicatricibus monstraretur, quod filius ille meritis Beati Martyris fuerat impetratus. Quadam vero die præfata Domina pro culpa quadam nutricem, quam in domo habebat, dure increpavit; propter quod mulier illa fortissime fuit provocata, & volens Dominæ magnam inferre displicentiam, puerum occidere voluit in vindictam, ut mater summa tristitia repleretur. Ne autem videre posset ipsam esse culpabilem, in aurem pueri aristam frumenti posuit, quam sic interius infixit in aure, quod nullatenus apparebat. Cœpit autem puer indesinenter lamentari & ægrotare fortissime, [sanat] sed quia loqui non poterat nec sciebat,

cognosci non poterat per alios, quid haberet; sicque factum est, ut ad extrema post paucos dies deductus putaretur in brevi moriturus. Interim mater pueri S. Petrum Mart. invocare non cessabat: nocte vero quadam, dum mori videretur omnino, & super ejus lectulum mater cum aliquibus aliis vigilaret; subito adfuit S. Petrus Martyr, habitu Ordinis Prædicatorum & in apparentia reverenda: qui duos digitos in aure pueri posuit, & videntibus illis de aure aristam eduxit & super pueri maxillam posuit & abscessit, statimque puer perfecte sanatus est & misera illa, viso hoc miraculo, culpam suam multis cum lacrymis recognovit, & veniam humiliter postulavit, quam sine difficultate obtinuit.

[86] Cum quidam de Esculo, nomine Jacobus Ravonis, [infœcundæ puerum promittit] cum per plures annos filium habere non posset, una cum uxore sua, multa tamen precum instantia, a S. Petro Mart. pro obtinendo filio gratiam humiliter & fideliter postulavit. Quadam igitur nocte S. Petrus Martyr, in habitu Ordinis Prædicatorum, uxori prædicti viri in somnis apparuit, manibus tenens puerum & dicens: Ego sum ille S. Petrus, quem quotidie pro puero habendo deprecati estis: & quia apud me tantum precibus institistis, ego quod postulastis, a Domino impetravi: & porrigens illi puerulum, ait: Accipe filium, quod petisti. Post spatium autem novem mensium prædicta mulier peperit filium masculum; & diebus conceptionis diligenter computatis, reperit, quod a nocte visionis usque ad diem partus spatium novem mensium, nulla die superabundante vel deficiente, concurrit.

[87] Quidam puer febre gravissima sic ad extrema deductus est, ut vix perpendi posset utrum quid caloris in ejus præcordiis & in ore aliquid remansisset, & jam a parentibus quasi mortuus plangeretur: voto per matrem Martyri sancto recommendatus, [sanat puerum] devote secundum consuetudinem patriæ mensuratus, mox

calorem recuperavit & halitum, & paulo post integram sanitatem. Nobilis quidam de Engubio in provincia Tusciæ, Raynerius nomine, infirmatus graviter, post longam ægritudinem mori credebat omnino. Cum autem in vigilia S. Petri Mart. post Nonam, [& virum morti proximos:] fuisset a medicis de communi consilio iudicatum, quod ipsa die moriturus erat; mater infirmi Fratres rogavit obnixe, ut filium suum a medicis desperatum, S. Petro, cujus instabat solennitas, commendarent. Prior vero convocatis Fratribus, deliberavit cum illis communi concordia, in pane & aqua omnes Fratres generaliter abstinerent in cœna, & devotis orationibus pro liberatione illius S. Petrum Mart. invocarent. Nocte vero sequenti, devoto cuidam Fratri oranti S. Petrus apparuit, dicens: Ecce, Frater, impetravi vobis omnibus, quod petistis. Mane facto iverunt Fratres ad domum illius nobilis, & ipsum extra lectum sanum & incolumem invenerunt.

[88] Puer quidam Bergomensis, Guilielmus nomine, annorum circiter septem, in solario turris cujusdam ludens cum pueris aliis, ab uno ex illis impulsus incaute, de eminenti solario cecidit: cujus caput sic fortiter est illisum, quod os capitis in magna parte confractum, recurvatum est interius, & retortum: ita quod, ubi antea eminentia ossis erat, nunc facta per oppositum magna concavitas. [item puerum collisum,] Positus autem in lecto fuit cum planctu magno, eo quod filius erat honorabilis viri, qui tunc temporis magnus Romanæ Curiæ advocatus erat. Medici autem meliores civitatis Bergomi, convocati fuerunt numero duodecim; quorum omnium una fuit sententia, ut nullum ei posset valere medicinæ remedium. Perditis autem in ipso omnibus corporis sensibus & loquela, in brevi putabatur moriturus, & idcirco nullo prorsus apposito remedio medicinæ, recesserunt. Matrona autem quædam honorabilis & devota, Oremplasia nomine, ad quam pueri cura pertinebat,

videns corporalis medicinæ deesse remedia, ad S. Petrum Mart. cum devotione recurrit fideli, factoque voto, quod, si puerum liberaret, sepulcrum ejus cum ipso puero apud Mediolanum devote & honorabiliter visitaret; puer, qui a vespertina usque ad sequens mane sic desperatus a medicis fuerat, sanus & incolumis a lecto surrexit, cibum petiit & comedit, nullum omnino læsionis aut cicatricis cujusquam habens indicium. Hujus autem miraculi testis extitit magna populi multitudo. Adveniente atem festo primo ipsius sancti Martyris, quod fuit anno Domini MCCCXII, præfata Domina cuncta, quæ promiserat, adimplevit, quæ Dominus fecerat fideliter enarrans. [& virum.] In provincia Provinciæ Arnaldus de Marast de Alto-villari, laborans in extremis votum emisit, ut potuit, quod sepulcrum Martyris visitaret, si meritis sancti Martyris sibi sanitas præstaretur. Cumque prius voti senserit manifesta suffragia, quam vovens verba complere valuerit, ac paulo post plenam salutem sit consecutus; quod voverat, non sine multa fatigatione humiliter & devote persolvit.

## CAPUT XII.
## Febris, hydropisis, paralysis per S. Petrum depulsæ.

[89] Vir quidam, Henricus nomine, Hungarus natione fuit, qui cum crebrescentibus miraculis Martyris multorumque relatione longe lateque diffusis, longa perigrinatione Mediolanum, de Pessiensi civitate Hungariæ, pervenisset: [Quendam voto facto a febri liberat:] quoniam sic affligebatur febribus, ut nihil penitus paroxysmo durante videret, emisso voto, quod iret ad locum in quo sancti Martyris corpus requiescit, si per eum Dominus beneficium concederet sanitatis; continuo liberatus, quod voverat, fideliter & devote adimplevit. Quidam puer, febres habens annum & dimidium, [item puerum,] die quadam dum cum æstu febres istas fortissime pateretur,

eum S. Petro Mart. parentes ejus voverunt. Puer autem, statim voto a parentibus emisso, surrexit liberatum se sentiens, statimque petiit, ut ad S. Petri memoriam ejus ecclesiam adiret, quod & fecit. Clericus quidam Trevirensis indicibili capitis dolore ad insaniam usque vexatus S. Petro Mart. se devovit: statimque mirabiliter sanatus est. [& Clericum;] In civitate Esculana miles quidam, qui D. Jacobus Bonhominis dicebatur, de quo superius mentio facta est, pluribus diebus febre continua laboravit. [militem qui a continua] Cum autem quotidie febris invalesceret, quodam fero medicus solennior civitatis, signis diligenter consideratis & conditionibus ipsius, dixit, familiaribus ejus, quod de salute ejus penitus desperabat, cum videret in ipso mortis indicia manifesta, quibus per medicinæ auxilium obviari non poterat. Videns autem sibi omnia medicinæ deesse remedia, ad S. Petrum habuit multa cum devotione recursum. Nocte vero eadem, dum esset inter soporem & vigiliam constitutus, vidit tres in habitu Prædicatorum in cameram ejus intrantes; quorum unus, qui inter illos majoris ætatis & reverentiæ videbatur, salutavit eum dicens: Pax tibi, confide in Domino, quia cito liberaberis. Hoc dicto manu sua faciem ejus tetigit, deinde pectus & totum corpus ad pedes: quo facto disparuit, & ille continuo surgens sanus factus, Deo & Martyri suo gratias non indevotas egit.

[90] Juvenis quidam in eadem civitate, Gandulphus nomine, diebus pluribus febre continua sic gravissime laboravit, quod judicio medicorum fuit de vita penitus desperatus. Parentes vero ipsius, cum eum omnino mori crederent, funeralia omnia parari fecerunt. Cum autem ad extrema deductus visum, auditum, [& juvenem jam morti proximum] loquelam omnemque corporis sensum & fortitudinem amisisset; mater ipsius & uxor, multa cum devotione & lacrymis, nudatis & dissolutis crinibus, discalceatis pedibus & manibus post tergum ligatis, adjuncta sibi multa Dominarum caterva, accedentes ad

domum FFr. Prædicatorum, altare S. Petri Mart. visitaverunt, ipsius fideliter auxilium imploraturæ. Dum hæc sic fierent, infirmus ille, qui domi sic gravatus manserat, aperiens oculos resedit in lecto, & videns circumstantes flere, dixit: Nullus ploret pro me, quia ego liberatus sum; nam S. Petrus Martyr apparuit mihi in habitu FF. Prædicatorum, cum lætissima facie & reverentia, dixitque mihi ponens manum suam super faciem, securus esto quia ægritudine hac non morieris. Quo dicto cibum petiit & accepit, cibo autem sumpto fuit a febribus liberatus. Facta autem diligenti inquisitione & æstimatione, repertum est, ipsum verba dixisse prædicta, quando mater ejus & uxor erant in oratione devota ante altare S. Petri Martyris.

[91] Alius quidam juvenis de civitate eadem, Philippus de Polegia nomine, [atque alium fabricitantē] febri continua vehementer gravatus, quodam sero S. Petro Mart. quem in devotione multa habebat, humiliter se devovit, promittens cereum offerre ad altare ejus si eum a febribus liberaret. Cum autem nocte ipsa in ipsis febribus obdormivisset, visum ei fuit in somnis, quod S. Petrus Martyr vocaret eum de lecto, dicens: Surge, veni ad ecclesiam meam mecum, & recipies sanitatem: & apprehensa manu ejus elevavit eum, & ad altare suum duxit, mandavitque uni Fratri, qui ibi aderat, ut de vino, quod ibidem in ampulla erat pro sacrificio præparatum, infirmo daret. Cumque ille aliquantulum de vino bibisset, reduxit eum ad lectum dicens: Confide fili, quia cito sanitatem recipies. Statim ille evigilans multum se alleviatum sensit: facto autem mane fecit cereum ad altare ipsius offerri, qui statim ab ægritudine illa liberatus est. Idem juvenis alio tempore similem patiebatur infirmitatem: oratione autem facta ad S. Petrum Mart. pro sua liberatione, nocte vidit in somnis ipsum S. Petrum, in vultu adeo splendidum, quod præ claritate nimia vultus ejus in ejus faciem intendere non

poterat: S. Petrus vero pyxidem, quam manu tenebat, aperiens, unguentumque quod in ipsa erat accipiens, unxit eum per totum corpus; statimque disparuit, & ille perfecte se sanatum invenit.

[92] Quædam mulier, Cara nomine, de Lignano Mediolanensis diœcesis, [mulierem hydropisi laborantem sanat.] sic gravata & tumefacta morbo erat hydropico, quod ad S. Petri tumulum vix portari potuit aut duci. Fusa autem ibidem oratione, gravitate omni & tumore deposito sic protinus est curata, ut levis ac gracilis facta, per se libere & expedite ire poterat, quæ prius alterius adminiculo portabatur. In civitate Majoricarum, juvenis quidam Dominicus nomine, quartanam fere per annum unum patiebatur, qui similiter in hydropisim cecidit, propter quod totum corpus habebat inflative, ita quod per domum sine baculi sustentaculo ire non poterat: tandem invalescente morbo & gutture jam inflato, [item alium Majoricæ] sic loquelæ usum amiserat, ut aliquid cibi vel potus sumere non valeret; propter quod medicus eum tamquam mortuum iudicabat. Cujus judicium uxor ægroti metuens dixit: S. Petro novo Martyri te commenda, vovens quod totum vitæ tuæ tempus ejus vigiliam jejunabis. Quod infirmus audiens, uxori innuit, ut candelam suæ magnitudinis ad altare Martyris deportaret. Quod cum factum esset, infirmus os aperuit, putredinemque sanguinolentam ac spissam in multa quantitate ejiciens, loqui cœpit, sicque curatus est; scilicet a gutturis infirmitate hydropisique ac quartana, Deo gratias non indevotas & S. Petro Martyri ejus agens.

[93] [& alium Compostellæ:] Fuit in civitate Compostellæ, ubi S. Jacobi Apostoli venerabile corpus requiescit, juvenis quidam Benedictus nomine, qui ad tantam devenit infirmitatem, ut omnino morti propinquus a videntibus crederetur, erant siquidem tibiæ ejus inflatæ in modum utrium, venter ejus ut prægnans; facies autem tanti

horroris erat, quod sicut monstrum timorem aspicientibus inferret; præsertim cum oculi emergentes exire de corpore viderentur, & cum totum corpus inflatum esset quasi fistula, & vix jam posset vel super baculum moveri. Hic igitur tali modo gravatus, e vespere quodam se utcumque sustentans, ad domum cujusdam devoti, qui Fratres radere solebat, venit, & ab uxore illius multis præsentibus eleemosynam petivit. Mulier vero pietate & admiratione commota, Magis, inquit, tibi fossa, quam cibus opus esset: nihilominus meo acquiesce consilio, & ad domum FF. Prædicatorum perge, ibique peccata tua confitens S. Petrum novum Martyrem devote depreceris: certa enim sum, quod, si bene oraveris, sanitati pristinæ continuo restitutus eris. Hæc autem devota mulier asseruit plena fide, S. Petri Mart. virtutem in se pluries jam experta: infirmus vero accepto pane ac butyro a muliere, quod dixerat se facturum promisit. Illa autem die qua promiserat non implevit: mane vero sequentis diei ad domum Fratrum veniens, cum adhuc ostium exterius clausum esset, secus portam se posuit ac dormivit. Dum autem dormiret, quidam venerandus Frater Prædicator eidem in somnis apparuit, cappa cooperuit, & per dexteram manum ipsum tenens in ecclesiam introduxit: invenit autem se evigilans ad ecclesiæ ostium interius, super gradus, perfecte sanum & corde alacrem. Mira res! Inflatus & immobilis, sanus factus & velox, ad dictam feminam statim cucurrit: in vicoque illo, coram eis qui die præcedenti pene mortuum viderant, dixit: Ecce quod mihi dixisti adimplevi, vide quid S. Petrus suis meritis circa me operatus est. Mulier vero juvenis tibiam apprehendens, jam quidem perfecte sanatam, sed in tanti miraculi testimonium adhuc lividam, viro suo vicinisque præsentibus, qui eum die præcedenti infirmum in vico viderant, coram omnibus juxta S. Jacobi ecclesiam exclamavit: Ecce Dei nostri miracula, ecce mirabilia: heri inflatus, sensu, verbo, gressu deficiens, pene mortuus, sine tumore incolumis laudat Deum. Hunc juvenem multi

ex Fratribus nostris sanum viderunt, & infirmum similiter plusquam quingenti ex eadem civitate homines.

[94] [aliam gibbosam simul,] Matrona quædam de S. Anatolia, Esculi habitans, Beatrix nomine, quae hydropica effecta adeo intumuerat, quod nec ambulare, nec subsistere poterat, nec etiam in lecto se vertere, nisi ab alio verteretur: ossa quoque pectoris ejus maximo cum dolore in tantum exterius prominebant, quod gibbosa videbatur effecta, virtutem etiam brachii dextri sic omnino perdiderat, quasi aridum esset. Per spatium igitur trium mensium immensis doloribus cruciata, & totius corporis membris destituta, cum de salute sua medici desperarent, viciniorem se morti quam sanitati putabat: quod etiam ab aliis, qui eam noverant, putabatur. Die autem quadam dum divinum auxilium devotis precibus invocasset, S. Petro Mart. se specialiter commendavit. Nocte vero sequenti obdormiens vidit in somnis, quod ad quoddam ducebatur palatium, quod visu pulcherrimum erat, ubi ei multa mirabilia sunt ostensa: invenit autem altare pulcherrimum, juxta quod sedebat vir quidam speciosissimus, candidis indutus vestibus, qui in adventu ipsius se ad Missam præparabat, & ipsa præsente celebravit; qua finita tradidit matronæ vestem pulcherrimam dicens: Indue vestem hanc, & statim recipies sanitatem. Quæ evigilans, invenit se integraliter liberatam, fuit autem hoc circa festum Nativitatis Dominicæ: [cui apparet:] non modicum tamen mente turbabatur, quia liberatoris sui nomen ignorabat. Appropinquante autem festo S. Petri Mart. & matronis dicentibus se velle S. Petri Mart. vigiliam jejunare, illa respondit: Ego tot jejunia facere habeo, quod vigiliam illam jejunare non possum, nam bis in hebdomada jejunabat. Nocte vero vidit in somnis S. Petrum Mart. in habitu Prædicatorum sibi dicentem: Scias me esse S. Petrum Mart. qui apparui tibi in vestibus albis, dedique tibi vestem & sanitatis tibi beneficium impetravi: cum sic

a me tantum receperis sanitatis beneficium, non tibi difficile esse debet aut pœnosum, meam jejunare vigiliam. Quo dicto disparuit, & illa quamdiu vixit S. Petri Mart. vigiliam jejunavit.

[95] Puer quidam Parmensis annorum quatuor, calculum habebat, qui eum tormentis maximis affligebat, a quo, sicut per medicos judicatum fuerat, nisi per incisionem liberari non poterat. [puerum a calculo liberat,] Cum autem esset in crastino incidendus, mater ejus S. Petrum Mart. rogavit instanter, ut in tanto ei subveniret periculo; promittens, quod si eum a mortis periculo liberaret, altare ipsius apud Mediolanum decenti mappa operiri faceret. Nocte sequenti dum puer dormiret; S. Petrus ei habitu Ordinis sui adstitit & aperiens ei manum dedit ei calculum, dicens: Claude fili manum & serva lapillum, quia sanus es: quo facto disparuit. Mane facto adfuit medicus, ut puerum incideret, sicut ordinatum fuerat; cumque excitatus a somno fuisset, vidit medicum & ait: Non expedit, ut erga me amplius laboretis, quia nocte Frater quidam de Ordine Prædicatorum mihi apparuit, qui calculum de corpore meo sine aliqua læsione extraxit, & in manu mea clausit dicens, me totaliter esse liberatum; & aperiens manum, quam dormiens clauserat & usque ad horam illam clausam tenuerat, obtulit matri & medico calculum, quem veraciter in manu habebat. Videntes autem mater & medicus cunctique qui aderant, quod puer integraliter sanatus erat, Deo & S. Petro Mart. gratias retulerunt. Cognoverunt enim, quod S. Petrus Mart. liberavit eum; quando mater ejus in die præcedenti, multa cum fide & devotione, eidem Martyri se devoverat. Ipsa vero Mediolanum calculum & mappam ut voverat misit, miraculumque ad Dei & martyris ejus gloriam enarravit.

[96] Mulier quædam, Agatha nomine, paralytica Venetiis fuit, [mulierum a paralysi,] quæ uno latere perdito, dum

in quodam domicilio cujusdam matronæ, in parochia S. Joannis in Bragola, duobus annis cum dimidio sustentata decumberet; metuens ne hospitæ suæ & aliis, quæ sibi misericordiæ manum porrigebant, nimis onerosa esset, & verteretur in tædium (eo quod ad sedendum se accingere, dum comederet, non valebat) ut ad quoddam hospitale deferretur precibus multis impetravit. Ubi hospitalarium non reperiens, ad priorem locum necessario deportata, desolata nimium & afflicta, tribus diebus adjutorium novi Martyris, cui se devoverat, expectavit. Quarta vero feria diescente quemdam Fratrem Prædicatorem soporata conspexit, qui se medicum asserens, ipsius manum, quæ juxta lectulum arida dependebat, accepit, plenariæ sanitatis beneficium ei promittens. At illa excitata præ gaudio, & quod sibi promissum fuerat sentiens adimpletum, tunicellam sibi porrigi a quadam muliere petivit. Dum autem velut sana se libere indueret, & læta se diceret miraculose sanatam; altera mulier hæc videns & audiens, præstolari, donec induta foret, stupore miraculi stimulata non potuit, quin statim ad dominam domus properans, ei sanatam fore Agatham nuntiavit. Dum illa stupefacta currit, ut videat, & hæc jam induta concurrit ut obviet: concurrit tota vicinia, a prædicta muliere circumquaque commota, & sic avide Deo & Martyri gratiæ multiplices referuntur. Quæ autem sanitatis beneficium acceperat, verborum solummodo gratias referre non contenta, manum suam misit ad fortia; & digitis nuper sanatis fusum apprehendens, duas purpuras processu temporis acquisivit, unam Venetiis ad altare S. Martyris offerens, alteram Mediolani ad ejus tumulum mittens.

[97] Quædam mulier Esculana, Aurelia nomine, filium habuit parvulum, qui completis decem & octo mensibus paralyticus effectus est. [& pueros duos similiter paralyticos:] Omni autem medicorum deficiente auxilio, puer semper deterius habebat & tremorem omnium

membrorum; vertebat horribiliter oculos, agitabat caput, torquebat os fere usque ad aurem, & quotidie mortis indicia prætendebat. Hoc autem multo tempore perdurante, omnes puerum videntes ad mirabilem movebantur compassionem. Mater vero pueri ad S. Petri Mart. recurrens auxilium, filium ad altare ejus multa cum fiducia portavit. Appositis autem per quemdam Fratrem S. Petri Mart. reliquiis super pueri faciem & corpusculum, fuit continuo Dei gratia ab omni ægritudine liberatus. Puer quidam, nomine Soldus, de Esculo, filius cujusdam nobilis viri, qui Joannes Guillelmi dicebatur, paralyticus ab infantia effectus, nec ambulare, nec per se stare rectus poterat, quamquam ad illam pervenisset ætatem, in qua pueri ambulare consueverunt. Quadam igitur die mater pueri, de consilio medici, balneum faciebat cum herbis quibusdam medicinalibus: sed antequam in balneo eum poneret, S. Petro Mart. devote commendavit; audiente viro, qui præsens erat rogans, ut talem a Domino impetraret sanitatem, ut saltem usque ad annum ambulare posset. Quod audiens vir ejus, increpavit eam dicens: Infideliter oras, quæ tantum terminum tam pretioso Martyri assignasti; an non credis eum tanti esse meriti apud Deum, ut statim eum liberare possit? Vocemus ad nos puerum, & in nomine S. Petri Mart. surgat & veniat ad nos. Sedebat autem ex opposito parentum juxta alium parietem domus. Cumque mater eum in nomine S. Petri martyris vocasset, confestim puer paralyticus, qui numquam ambulaverat, surrexit, & lætus sine adminiculo porrexit ad matrem, expedite & libere acsi diu solitus fuisset ambulare; & ex tunc, nullum paralysis habens vestigium, sanus deinceps & incolumis ambulavit. Balneum vero, quod pro carne ejus parabatur, de consilio medici, visa pueri sanitate, est effusum.

[98] Post non multum temporis a miraculo prædicto, mater pueri antedicti periculosam incurrit infirmitatem: nam in ipsius mamilla dextera ex humoribus pessimis

generati sunt duo durissimi lapides, rotundi & magni sicut duo ova gallinæ, qui eam multis diebus cruciabant. [glandulas ab uberibus depellit.] Cum auxilio medicinæ aliter subveniri non posset nisi per remedium incisuræ, ut sic evelli possent lapides illi a mamilla; vir ejus considerans eam mortis periculo exponi, quodam sero multa cum devotione S. Petrum Mart. invocavit, ut eam ab infirmitate prædicta per modum alium liberaret. Mane facto, subito durissimæ illæ glandulæ evanuerunt, & domina illa curationis perfectæ beneficium S. Petri meritis est adepta, Deo & Martyri gratias referens non indevotas.

## CAPUT XIII..
## Contracti, cancro, mania, epilepsia laborantes sanati per merita S. Petri.

[99] In diœcesi Comensi apud a Suricam villam super lacum Larium, cum quidam Lemasius nomine, de domo Episcopi Comensis, de alto corruens, sic confractus fuisset, quod nullis sibi medicinæ adminiculis suffragantibus, per sex annos sine duobus sustentaculis ambulare nequiret; emisso voto ad Martyrem sanctum, ad ipsius tumulum sine aliquo sustentaculo liberatus accessit. [sanat tres contractos] Ubi persolvens quod voverat, cum quatuor sociis, cum juramento testatus est miraculi veritatem. Mulier quædam, nomine Vindis, de valle Lentina diœcesis Mediolanensis; cum totius sinistri lateris longo tempore usu carens surgere de lecto nequiret, facto voto Deo & ejus martyri se ad ejus ituram tumulum, & pedem cereum oblaturam, si sibi liberationis remedium contulisset; protinus liberata, illius patriæ gentem flere præ gaudio & admiratione coegit. Ad honorem Martyris in loco martyrii ecclesia quædam constructa est, in qua juxta ejusdem ecclesiæ altare cuidam Marliano de Burgo duplex gratia est miraculose collata. Nam cum per tres menses nec de lecto surgere

potuisset, nec se commode movere, nec se in lecto vertere, & per quindecim annos fuisset Catharorum erroribus irretitus; illuc spe salutis portatus, & corporis sanitatem sortitus est, & mente superno lumine illustrata, conversus est ad fidei veritatem.

[100] Puer quidam de Terzano Mediolanensis diœcesis, Aligisetus nomine, cum ad S. Petri tumulum a matre delatus fuisset, effusis precibus ad Martyrem, ut sciebat, salutem manus & pedis ac totius dexteri lateris, [cuidam usum lateris, manus & pedis restituit] quod amiserat, impetravit. Alius quidam puer de valle Leventina, nomine Soldaninus, ad eumdem locum non delatus, sed oblatus a matre; qui primo totus contractus & gibbosus fuerat, postea sanus & incolumis factus & rectus pedibus suis venit, ductus a matre, & sicut Sancto Martyri voverat, est oblatus. Ad eamdem ecclesiam puella quædam, nomine Sabina, Novariensis, a matre ducta, cum manum haberet ita contractam, ut præ digitorum constrictione palmam sibi unguibus perforaret, super Martyris sepulcrum apposita, extendit manum sanitati pristinæ restitutam. [puelle usum manus,] Filio cujusdam militis ad ecclesiam FFr. Prædicatorum in civitate Limericensi portato, ut Martyris reliquias visitaret, ipsis visis illico est reddita ambulandi potentia, [puero usum pedum.] quam perdiderat: & sic matri, cui fuerat prius onus & tædium, factus est postea itineris socius & solamen. Mulier quædam in civitate Esculana, [alteri brachium.] Illuminata nomine, filiam habebat annorum quinque, quæ brachii virtutem ex debilitate nervorum sic omnino perdiderat, quod cum brachio illo multorum dierum spatio se juvare non poterat; si autem elevabatur ab altero aut extendebatur, eo dimisso, statim cadebat acsi nervos incisos haberet, puella toto suo conatu ad sustinendum brachium cooperante. Videns autem mater cuncta medicamina, quæ experta fuerat, in nullo valere, duxit eam ad altare S. Petri Mart. Ubi autem per Fratres

reliquiæ Martyris super infirmum brachium appositæ fuerunt, statim ad earum contactum elevavit puella per se manum & brachium libere, sanitati integræ restituta.

[101] Laborantes apostematum morbo & fistularum B. Petrus Martyr invocatus pristinæ restituit sanitati. Ex quibus illud evidens & mirificum taceri non debet, quod in quodam paupere Mediolanensi, [morbum fistulæ tollit,] qui Jacobus de Cornaredo dicebatur, aperte monstratum est. Nam cum haberet sinistræ manus digitum ex morbo fistulæ in septem locis plurimorum foraminum concavitate defossum, alterum etiam pedem vehementi tumore deformem, & ejusdem pedis tibiam carnibus defluentibus putrefactam, ita quod vix ad aliquem locum, in quo a transeuntibus eleemosynam peteret, proficisci poterat, nisi sub axillis duobus baculis sustentatus: audito quod per novum Martyrem tot beneficia praestarentur, spe consequendæ sanitatis ad Sancti sepulcrum qualitercumque venit; ubi oratione fusa cum lacrymis, sensit se liberatum. Digiti namque sui foramina sunt obstructa & mira consolidatione sanata; pes tumorem deposuit; & tibia, projecta putredine, cicatrice salutifera est obducta: & sic, qui prius ambulare non poterat, ad utrumque potens factus est & idoneus membrorum suorum officiis restitutus. In persona cujusdam Æmiliæ Papiensis simile miraculum manifeste resplenduit: nam postquam osculata est Martyris monumentum, statim curata est a quodam apostemate fistuloso, clausis undique foraminibus, per quæ sanies ejusdem apostematis dudum effluere non cessabat.

[102] [item scrofulas,] Puella quædam de Lugano Comensis diœcesis, Jacobetta nomine, cum propter quamdam scrofulam, nucis magnitudinem excedentem, alterum brachiorum haberet non modicum deformatum; auditis beneficiis per Martyrem suum a Christo exhibitis, prostrata in terram, obsecrans quod sicut eum vere

Sanctum fore credebat, sic eam dignaretur Dominus liberare; ita fuit miraculose sanata, ut infra triduum scrofulis [liberata] quas per, decennium gestaverat, nec ullius inveniret vestigium, laudans Deum in sancto Martyre suo. Fuit in Esculo mulier quædam, Sermita nomine, cujus sinistræ manus digitum cum dolore maximo fistula corrodebat: quæ cum frustra medicamina adhiberet, ad S. Petri auxilium se reduxit. [& fistulam:] Oratione completa ita fuit integraliter & mirabiliter beneficium sanitatis exhibitum, quod omni dolore, tumore ac vulnere excluso, a mente ejus omnis infirmitatis pristinæ memoria est exclusa. Die vero tertia ad memoriam ejus rediit, quod infirmitatem illam passa fuerat: & videns se sic plene curatam, Deo & Martyri suo gratias egit; reverentiamque, quam ad ipsum Martyrem habuerat, deinceps quantum potuit augmentavit.

[103] Mulier supradicta balneum quoddam, quod Aqua-sancta dicitur, cum aliis ingressa est. Cumque intus balneum sola ultra alios processisset, [mulierem a submersione liberat:] nullum ibi credens esse periculum; pedes ambos in quadam posuit fovea: & subito in ipsam descendens, usque ad os in gurgite submersa est. Igitur ex periculo territa, velut mortua effecta, cum circa se tantam conspiceret aquæ profunditatem, submergi sine dubio credebat: sic etiam ex horrore mortis alienata subito fuit quod nullius Sancti auxilium scivit invocare. Erat autem non longe in eodem balneo quædam ejus socia, quæ cernens eam in mortis periculo constitutam, valde tristari cœpit: sed timore femineo perterrita, ad adjuvandum eam accedere non præsumpsit, metuens ne & ipsa necaretur. Sed quam manibus juvare non potuit, oratione juvit: nam sciens illam ad S. Petrum Mart. magnam habere devotionem, fideli exclamavit voce dicens: Sancte Petre, tuam adjuva devotam. Statim autem ut illa verba complevit, mulier quæ in fovea erat, sensit manifeste duas hominis manus suis supponi pedibus, quæ

a terra ipsam elevantes, & per balneum deferentes, ad locum, ubi aquæ erant minus profundæ, deduxerunt. Quo facto manus prædictæ numquam comparuerunt: unde nulli dubium fuit, quin S. Petrus fuerit, quæ sibi devotam a mortis periculo liberavit.

[104] [Alios sanat a Cancro,] Ferrariæ nepos D. Herigeri de Beltramis Filacampi, de contrata S. Nicolai, juxta cavillam pedis cancri infirmitate longo tempore laboravit, non valens aliquod salutis remedium per medicinam vel medicum habere. Finaliter de consilio medicorum statutum est, quod pes amputari deberet, alias crus putresceret. Nocte superveniente ante diem, qua hoc fieri deberet, apparuerunt ei vigilanti duo Fratres Prædicatores, quorum unus crus manu accepit & fascias dissolvit, quibus ligatum erat, & Crucis signaculo facto dixit: Scias fili te plenarie sanatum. Tunc puer dixit: Domine qui estis vos, qui tantum mihi beneficium contulistis? Cui Frater, Ego sum, inquit, Fr. Petrus de Ordine Prædicatorum, qui pro defensione fidei mortuus sum. Et cum regratiaretur Fratri, dixit ei Frater, Debes, fili miraculum recitare, & scias quod hoc mane pes tibi amputari debuit. Mane facto venit medicus cum propinquis, ad pedem amputandum ferramenta deferens. Tunc medicus, accepto pueri crure in manibus, sanatum de infirmitate vidit. At puer dixit, Quid vultis facere? Responderunt illi: Pedem tibi amputare volumus. Qui respondit: Non est necesse, quia sanctus Martyr Petrus de Ordine FF. Prædicatorum me sanavit. Et hoc miraculum in tota contrata notum factum est, & magister Joannes de Ferraria vidit puerum illum, crus cereum portantem cum suis ad ecclesiam FF. Prædicatorum ad altare S. Petri Mart. perfecte sanatum.

[105] Civis quidam Esculanus, Joannes Grassus nomine, per annos plures sic fuit omni sensu & discretione privatus omnino, quod omnes de domo ejus cum ipso habitare de

nocte timebant, [a mania,] propter ipsius insolentias. Nam utensilia omnia domus frangebat, & adhibitis per medicos remediis semper deterius faciebat. Cumque furor ille quotidie per annos plures auctus fuisset, in vigilia S. Petri Mart. sero ad ecclesiam, per consanguineos ejus & vicinos, multa cum molestia deductus est; & violenter ante altare S. Petri per noctem ipsam detentus est, & Beato Martyri multa cum precum instantia ab amicis commendatus. Deo autem per S. Petri merita operante, nocte illa sensus sic est ei restitutus integraliter, quod de cetero ab illa fatuitatis ægritudine liberatus, sana mente cum familia & ceteris omnibus discrete fuit conversatus.

[106] Accidit in Catalaunensi civitate Franciæ, quod quædam religiosa mulier caduco morbo adeo graviter vexaretur, [ab epilepsia] ut in die quandoque quinquies, quandoque septies & aliquando octies prædictum morbum horribili modo sustineret. Contigit autem cum de S. Petro Mart. prædicari audisset, & quomodo Deus per ipsum multa miracula operari dignatus est, ad ecclesiam FF. Prædicatorum accessit, & coram altari S. Petri Mart. prostrata humiliter, se totam orationi contulit, in hunc modum: O S. Petre, Martyr gloriose, preces pro me ad Dominum effundere digneris, pro cujus fide acerbissimam mortem pertulisti, ut ipse ab infirmitate hac tuis meritis me liberare dignetur, si utilitati animæ meæ expedit. Vix orationem hujusmodi complevit, bonam quamdam dispositionem, alias inexpertam, in suo sensit corpore, integræ sanitatis indicium: unde cum ingenti gaudio cuidam de astantibus dixit: Credo quod ab infirmitate mea meritis S. Petri Martyris gloriosi, plene liberata sim. Quod & factum est. Unde nec ipsam nec reliquas ejus reliquias vel modicum aliquando sensit: sicut Priori Catalaunensi, qui longis temporibus ejus Confessor fuerat, de tam subita curatione miranti, devote & humiliter retulit. Plures etiam personæ aliæ a morbo consimili, in civitate prædicta, S. Petri meritis ad plenum

liberatæ sunt. Quidam puer, morbo caduco laborans, ad altare S. Petri Mart. a parentibus deportatus, factoque pro ipso voto, plenissime liberatus est. Domicella quædam Montis-Pessulani, anno MCCCVI, patiebatur cardiacam passionem vel epilepsiam, secundum diversorum medicorum diversa judicia, propter quam mortua aliquando videbatur, nec parentes eam nubere valebant, nec eam aliquis uxorem ducere volebat. [a cardiaca passione,] Facto autem a parentibus & amicis voto Deo & S. Petro Mart. in festo ipsius in nocte profunda ducta est ad ejus altare, timentibus, ne de die infirmitas eam arriperet, & sic confunderet ipsos. Cum igitur ante altare S. Petri esset, subito horrenda eam invasit infirmitas: quæ cum cecidisset in terram, & fuisset a parentibus elevata ut mortua, Sacrista currens S. Petri detulit reliquias, & apponens ori ejus & cordi, pectorique ac ventri, hæc omnia illis tetigit: & subito Fratribus ceterisque qui adstabant, ait: Noveritis quod S. Petrus me curavit, & ex nunc infirmitatem hanc non patiar. Et sic fuit: quia nupta plures filios habuit, & numquam amplius illam passa est.

[107] [a lethargo] In regno Bohemiæ mulier quædam lethargica fuit, ita quod nullo modo excitari poterat. Cumque ab amicis S. Petro Mart. votum factum fuisset, in presentia Prioris & quatuor FFr. Prædicatorum; statim quasi ex somno evigilans, dicto Priori confessa est, dixitque, teterrimam personam, quæ eam jugulabat, se vidisse; sed quidam in habitu FF. Prædicatorum eam expulit, & mulierem liberam pristinæ restituit sanitati. [a vomitu sanguinis.] Vir quidam de Campitio, Rufinus nomine, graviter infirmabatur: nam vena pectoris fracta indesinenter sanguinem emittebat. Per sex dies & noctes continuo fluente vena, S. Petrum Mart. devote in suum invocavit auxilium: qui tam subito sanatus est, ut inter effusam orationem & receptam liberationem nullum penitus fuit intervallum. Cum autem se sopori dedisset,

vidit quemdam Fratrem in habitu Prædicatorum, grossum facie atque brunum, quem socium S. Petri Mart. Fratrem Dominicum existimabat (sicut vere formæ talis exstiterat) qui ex passione palmas plenas sanguine, cum unguento quodam suavi offerebat eidem, dicens: Sanguis adhuc recens est, veni ergo ad recentem sanguinem S. Petri: qui evigilans sepulcrum S. Petri Mart. in gratiarum laude statuit visitare.

## CAPUT XIV.
## morbi & difficultas partus per aquam S. Petri Reliquiis sacratam sublati in Hibernia: energumeni liberati.

[108] [Aquam istam bibens a letali morbo convalescit,] In provincia Hiberniæ in a Laoniensi diœcesi mulier quædam nobilis, Illicia nomine, ita usum linguæ omniumque membrorum perdiderat, & personæ viventis calorem, ut jam mortua videretur. Quæ cum per duos dies in tali mortificatione stetisset, omnia in se fere mortis signa prætendens, & ei cilicium & ea quæ funeri necessaria sunt, pararentur; postquam de aqua virtuosa, quæ reliquiarum Martyris contactu fuerat consecrata, gustavit, mox loquelam sensusque omnes recuperavit amissos, vividusque calor restitutus & perfecta demum liberatio est secuta. [quidam a tumore tibiæ] In quadam villa præfatæ provinciæ Eloriensis diœcesis, quidam Elias nomine, ex vehementi tumore pedis ac tibiæ, sic graviter dolore intolerabili cruciatus est, ut vel quiescere vel ire aut cibum sumere non valeret. Cum autem in tali angustia biduo jejunasset, tribus tandem diebus de aqua gustans, quæ reliquiarum Martyris fuerat contactu consecrata, primo quidem multum, secundum magis, tertio sensit & exclamavit se fore penitus liberatum: & eadem aqua loco doloris abluto, protinus ab omni dolore quievit, ambulavit fortiter, & cibum sumpsit cum lætitia. Quapropter villæ illius incolæ, ingenti admiratione commoti, cum Clericis

intraverunt ecclesiam, & campanis pulsatis, Te Deum laudamus devote cantaverunt, ad Sancti Martyris Petri, & Dei gloriam qui facit mirabilia magna solus. In eadem provincia, in diœcesi Limericensi uxor cujusdam Joannis Donevola, cum amissa jam loquela videretur mortem singultibus prævenire, potu ejusdem salutaris aquæ, loquendi officio & saluti fuit pariter restituta.

[109] [multi a variis morbis,] Altera mulier in eadem civitate, post potum aquæ præfatae vomens spurcitiæ non modicam quantitatem, a mortis quodam periculo repentino liberatur. Altera vero simili nomine, scilicet Lætitia, vocatur, ut vir quoque lætitia de sua lætificaretur salute, per similem potum & vomitum a quadam antiqua ægritudine, de qua jam desperaverat, plenam consecuta est sanitatem. Non minoris admirationis liberatio cujusdam pueri, de villa quadam Imlacensis diœcesis in præfata provincia fuit: nam cum tanta esset per totum corpus inflatione deformis, ut ad videndum esset horribile, & mors ejus potius quam vita a parentibus optaretur, qui jam de salute sperare desierant, aqua salutifera, quæ reliquiarum Sancti Martyris fuerat contactu consecrata, lotus a matre, & aliquibus stillis de ipsa gustatis, illico subito detumuit & insperatæ restitutus est sanitati meritis gloriosi Martyris. Puer quidam in præfata provincia & diœcesi nominata, Henricus nomine, cum ante mensam cujusdam nobilis luderet in domo & villa ejusdem, a quadam ægritudine subito arreptus & in terram prostratus, linguam extra os in longum ejiciens ita acriter illam mordebat intrinsecus ex dolore tumescens, ut post modicum non lingua hominis, sed equi præ magnitudine videretur. Cumque circumstantes timerent eam sibimet in brevi dentium constrictione secandam, nec ipsam intus aliquatenus reponere valerent; vix tandem in os ejus, impediente tumore, aliquantulum de aqua Martyris immiserunt. Quod cum instante jam nocte fecissent, eodem sero linguam suam retraxit, omni

prorsus inflatione carentem, expediteque locutus est, & plena sanitate recepta cum gaudio cibum sumpsit. Quod videntes qui aderant, stupore circumdati, reservare aquam talem & tam mirabilem non inutiliter crediderunt.

[110] Mulier quædam, uxor cujusdam Roberti Palmiferi, in Hibernia, cum de aqua S. Petri Mart. supradicta bibisset, in partus difficultate potata, visa est ei omnem mellis dulcedinem superare: & eidem contulit quod excessit utriusque virtutem, scilicet faciliter & continuo pariendi. In eadem provincia Hiberniæ tres mulieres, quæ multis doloribus & angustiis gravibus cruciabantur in partu, [per eamdem aquam facilis partus obtingit:] faciliter le viterque postmodum pepererunt, per similem aquæ potum meritisque Martyris sancti. In Laoniensi quoque diœcesi præfatæ provinciæ, quædam nomine Christina, uxor Gilberti Anglici, a simili periculo per simile miraculum fuit subito liberata. Quædam Basilia, uxor Joannis cognomento Epoes, cum remansisset ita vehementer post partum tumefacta, quod credebat se iterum parituram; aqua supradicta cum devotione & fide suscepta, continuo tumor prædictus ac mortis timor ab ea pariter discesserunt. Puer quidam inflaturam habens in collo & gurture valde magnam, cum de aqua quæ de lotione vasis, ubi S. Petri Mart. reliquiæ repositæ fuerant, bibisset, illico totam illam saniem evomere cœpit, ita quod infra tres dies fuit plenissime ac perfecte liberatus. Quædam Domina, nomine Everborga, in præfata provincia Hiberniæ, non oblita, quod supradicta aqua, S. Petri Mart. reliquiis consecrata, primogenitum suum, nomine Petrum, a mortis discrimine liberaverat; cum eam similiter reservasset, mirabilius fuit a Domino conservata. Nam cum casu ignis egressus, [& vas ab igne illæsum servatur] domos, quas Petrus maritus ejus habebat in Limericensi diœcesi, consumpsisset; inter ipsos incendii cineres vas ligneum, in quo supradicta aqua reposita fuerat, quodam mirabili modo integrum & incorruptum

repertum est: cumque fuisset in aliud vas translata, primum protinus in cineres est redactum. Quod evidenter edocuit, ob cujus gratiam vas pristinum in sua integritate conservatum fuit.

[111] Matrona quædam, nomine Girolda, uxor Jacobi de Valesina, cum annis quatuordecim ab immundis spiritibus fuisset obsessa, [energumena liberatur,] ad quemdam veniens Sacerdotem dixit: Ego sum dæmoniaca & spiritus malignus vexat me. Mox Sacerdos territus fugiens sacristiam intravit, & librum quemdam in quo conjurationes dæmonum erant & stolam latenter sub cappa deferens, cum bona societate ad mulierem rediit. Quæ mox ut eum vidit, ait: Latro pessime, quo ivisti? Cum autem Sacerdos adjurationes faceret & nihil curationis afferret, venit illa ad S. Petrum, dum adhuc viveret, ab eo adjuvari postulans. Cui ille prophetica voce respondit: Confide filia, ne desperes: quia etsi, quod postulas, perficere ad præsens non valeo, tempus tamen adveniet, quo a me quod petis plenarie obtinebis. Quod & factum est: [sicut S. Petru vivens prædixerat:] nam post passionem ejus ad Martyris sepulcrum veniens, liberationem a dæmonum infestatione promissam a vivo, licet cum multa sanguinis effusione, perfecte obtinuit a defuncto. Alia quoque Herbona de Bethegno, a dæmonibus annis sex possessa, renitentibus possessoribus, velut armatis fortibus custodientibus atrium suum, ad sacri corporis tumulum vix est tracta. Qua ibidem cum multa difficultate detenta de uno tenentium, qui hæreticorum credens erat, colloquebantur dæmones & dicebant: Tu qui noster es, quid nos detines? Et ut eum confundendo repellerent, ipsius occulta crimina publicabant dicentes: Nonne te ad illum locum & illum duximus, ubi peccata talia & talia commisisti? Denique obsidentes obsessam, ut eam desererent coacti, meritis Martyris adjurati, mulierem quasi mortuam, multum eam discerpentes, reliquerunt. Prædictus vero incredulus,

Conradus de Landriano vocatus, qui ad hoc venerat, ut Sancti miracula derideret; attendens, quod vere dæmones erant, sic suorum conscii secretorum; & ille verus Sanctus, qui tales taliter expellebat; per viam mirabilis misericordiæ Dei, ad lumen conversus est Catholicæ veritatis.

[112] Vir quidam nomine Roba de Meda, cum usque ad vestes in ludo taxillorum omnia perdidisset, domum in sero rediens, cum lucerna accensa lectum suum adiret; videns se tam vilibus pannis involutum & se tot amissise considerans, [Lusor qui se dæmonibus voverat,] præ nimia desperatione dæmones invocare cœpit, ac se eisdem ore nefando committere. Statimque tres dæmones adfuerunt, qui lucernam in solario projicientes, ipsum per collum arreptum tam fortiter adstrinxerunt, ut nullatenus loqui posset. Quem cum plurimum agitarent, qui in inferiori domo erant ad eum ascendentes, dixerunt: Quid est, quid agis Roba. Quibus dæmones responderunt: Ite in pace vestra, & lectos vestros intrate. Illi autem prædicti viri vocem esse credentes, protinus redierunt. Quibus recedentibus cœpit a dæmonibus multo fortius agitari. Quod illi cognoscentes, Sacerdotem protinus vocaverunt. Qui cum per S. Petrum Mart. dæmones adjurasset, [eorum potestati eximitur.] duo protinus exierunt. Sequenti autem die ad S. Petri Mart. sepulcrum ductus est. Ad quem Fr. Wilhelmus de Vercellis accedens, dum dæmonem increpare cœpisset, eum quem numquam viderat ex nomine vocans, ait: Fr. Wilhelme, pro te numquam exibo, quia hic noster est, & opera nostra facit. Quem cum interrogasset, quo nomine vocaretur; respondit Belcephas: cum vero per S. Petrum Mart. adjuratus fuisset, infirmum in terram projiciens, mox exivit. Ipse autem perfecte sanatus de commissis peccatis salutarem pœnitentiam suscepit. [item mulier.] Mulier quædam Euphemia nomine, de loco Cortinago Mediolanensis diœcesis, annis septem a dæmonibus vexata est. Sed cum

ad S. Petri sepulcrum deducta fuisset, dæmones eam amplius vexare cœperunt, & per os ejus cunctis audientibus clamare: Mariola, Mariola: Petrine, Petrine. Tunc dæmones exeuntes eam quasi mortuam dimiserunt. Sed postmodum plene sanata surrexit. Asserebant autem, quod diebus dominicis & festivis & præcipue quando celebrabatur, eam amplius dæmones vexabant.

## CAPUT XV.

## Candens ferrum innoxie per S. Petri merita tractatum, incendium restinctum, tempestas sedata &c.

[113] Ad pleniorem scientiam ejus, quod superius a dictum est, de homine qui ferrum candens, in sanctitatis S. Petri Mart. testimonium, manibus propriis absque læsione accepit, est sciendum, quod anno MCCCXVI, apud Genuensem urbem vir quidam fuit Placentinus, fidelis & innocens, qui ad S. Petrum Mart. magnam habebat devotionem, erat autem ibidem in cujusdam mercatoris obsequio. Appropinquante igitur S. Petri Mart. festo, [In testimonium sanctitatis S. Petri,] ille devotus vir Domino suo prædixit magna cum lætitia, quod festum gloriosi Martyris in proximo futurum erat: Dominus autem ejus, quamvis S. Petrum Mart. in magna haberet devotione, volens ex ludo eum tentare, dixit: Vide quid dicas, quia forte non fuit ita Sanctus sicut tu asseris. Cui ille respondit: Ego sic indubitanter teneo ipsum Sanctum esse, quod non est ita magnum in mundo periculum, cui, quando expediret, non me exponerem pro ipsius testimonio sanctitatis. Tunc ait Dominus ejus, [candens ferrum manu illæsa tenetur] si vis ferrum ignitum manu contingere, apparebit tunc illum Sanctum fuisse. Cumque ille lætanti animo assensum præberet, accipiens ille virgam unam de chalybe in ignem posuit; & cum ignita totaliter fuit, volens ejus experiri devotionem, ante eum posuit. Qui ipsum ignitum ferrum lætanter manibus

accipiens, in platea publica multis coram adstantibus, diu sine aliqua læsione tenuit. Iterum posuerunt ferrum coram multis, qui ad spectaculum convenerant, & obtulerunt ei cum perfecte ignitum fuit: qui fideliter illud manu capiens, in testimonium sanctitatis S. Petri Mart. tam diu tenuit donec quasi refriguit: sic omnino illæsus permansit, ut nec vestigium quidem adustionis in ejus manibus appareret. Videntes autem, qui aderant hoc miraculum, ad domum FF. Prædicatorum euntes, ad Dei & beati Martyris reverentiam honorem & gloriam, quod acciderat, Fratribus & populo narraverunt.

[114] In civitate Atrebatensi juxta domum FF. Prædicatorum, mercatores & venditores lignorum venalium morabantur; ubi cum lignorum maxima esset congeries pretii librarum mille Parisiensium, [incendium per ejus Reliquias restinguitur] ignis dictis lignis appositus est, ex ipsis vehemens exivit flamma, ventus etiam in ecclesiam & domum Fratrum flammas impellebat in tantum, ut crucem quæ in capite ecclesiæ posita erat, accenderet. Iamque Fratres eorum domum ab incendio posse liberare desperabant: Frater autem quidam conversus S. Petri Mart. reliquias ad fenestram quamdam Dormitorii pro salutis clypeo flammis opposuit: in ipsa appositione ventus contrarius flammas flans in latus aliud ita fortiter depulit, quod domus illa penitus illæsa permansit, Crucis illius accensione excepta, quæ ante appositionem reliquiarum facta fuerat. Hæc omnia Frater ille sub multorum testimonio Fratrum, qui hoc viderunt enarravit.

[115] In conventu Bisontino Provinciæ Franciæ, cum novitius quidam de fide multipliciter tentaretur, et a Priore suo multimodis confirmaretur; ab eoque monitus orationi insisteret; quadam nocte ei ostensum est, ut orationem hanc sæpius diceret: Deus, qui justificas impium & non vis mortem peccatorum, [& quidam in fide

dubius] famulum tuum, de tua misericordia confidentem, tuo protegas benignus auxilio & assidua protectione conserves, ut tibi jugiter famuletur, & nullis tentationibus a te separetur, per Christum &c. Quam tamen orationem numquam viderat, vel audierat, vel alicubi scriptam credebat, quam in dicta visione tantum ruminavit, quod eam ex corde didicit. Cumque hoc Priori narrasset, didicit ipsam esse in Missali scriptam pro tentatis dicendam. Ex hoc quam plurimum confortatus est: sed non ad plenum omnis illa tentatio recessit. Dicebat ergo illam orationem sæpius & devote. In diebus illis attulerat Frater quidam Reliquias de panno intincto in sanguine S. Petri Mart. qui miraculose exierat de quadam particula tunicæ, in qua idem Sanctus pro fide Christi excepit martyrium, unde plures de civibus Bizontii venientes cum multa devotione petebant, ut ampulla cristallina, in qua dictæ erant reliquiæ, perfunderetur vino: & bibentes multi ab infirmitatibus suis curati sunt. Cum autem quadam die dictus novitius Missam juvaret, essetque his miraculis incredulus; [fluente ex iis sanguine confirmatur] venit mulier quædam petens sibi dictum vinagium fieri Dum ergo Frater vasculum inclinasset, in quo dictæ erant repositæ reliquiæ, versus vas quod mulier attulerat, ut vinum reciperet; subito de vasculo illo guttæ multæ, super pannum sericum quod in altari erat, ceciderunt: una autem gutta tam fortiter vasculo adhæsit, quod cum panno frequenter superinducto exsiccari non potuit. Quo viso, Frater ille, Dei misericordia, ad sui & aliorum confirmationem, existimans factum fuisse miraculum, gratias agens Deo, a pristina tentatione liberatus est. Miraculum autem prædictum in tota illa civitate notum factum est.

[116] Quædam navis dum in mari medio pene naufragium pateretur, [Invocatus Sanctus tempestatem sedat:] sævitia ventorum & fluctuum inundatione quassata, & omnes qui in navi erant tenebrosa caligo noctis

opprimeret, diversi diversorum Sanctorum suffragia postulabant. Sed cum nullum suæ liberationis videretur indicium, seque periclitari plurimum formidarent; quidam natione Genuensis silentio facto, sic eos alloquitur, dicens: Viri Fratres, numquid non audistis, quod quidam de Ordine Prædicatorum, nomine Fr. Petrus, ob Catholicæ fidei defensionem sit nuper ab hæreticis interfectus, multaque per eum Dominus signa ostenderit? Nunc igitur devote suum imploremus auxilium, quia spero, quod nequaquam a nostra fraudemur postulatione. Assentiunt universi, S. Petrum in sui auxilium devotis precibus invocantes. Quibus sic orantibus, mox antenna navis, in qua velum appenditur, cereis accensis plena tota conspicitur, ita quod illorum cereorum mirabili fulgore obscuritate omni fugata, nox illatam caliginosa in diem clarissimum commutaretur: respicientesque quemdam viderunt in habitu Prædicatorum, stantem super velum, de quo nulli dubium fuit quin S. Petrus extiterit. Statimque cessavit ventus, mare quievit, magnaque tranquillitas facta est. Cum ergo nautæ prædicti Genuam incolumes advenissent, domum FF. Prædicatorum adierunt: Deoque & S. Petro Mart. gratias referentes, eisdem Fratribus miraculi seriem fideliter narraverunt. Quadam vice cum supprior Conventus Trajectensis in Teutonia, quosdam pulcherrimos lapides & magnos in navi quadam duceret; [navem in naufragio servat.] ex improviso cuidam littori sic inhæsit, ut nullatenus moveri posset. Discedentes vero nautæ, quod ipsam unanimiter impellentes nullatenus movere possent, & navem se amisisse putarent; Superior omnibus amotis manum ad navem apposuit, & leviter eam impellens, dixit: In nomine S. Petri Mart. in cujus honore lapides istos deferimus, vade. Statim navis velocissime mota, de littore integra & illæsa recessit; supra quam nautæ ascendentes, salvi & hilares ad propria redierunt.